SPECIMEN HISTORICUM DE EUMENE CARDIANO A CAETERIS...

Barthold Jacob Lintelo baron Geer van Jutphaas








THEEK



SPECIMEN HISTORICUM

DE

EUMENE CARDIANO

A CAETERIS ALEXANDRI MAGNI DUCIBUS RITE DISTINGUENDO,

QUOD,

SUPREMO FAVENTE NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

RICHARDI VAN REES,

MATH. MAG. PH. NAT. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

BARTHOLDUS JACOBUS LINTELO DE GEER,

RHENO-TRAJECTINUS.

DIE XIV DECEMBRIS A. MDCCCXXXVIII, HORA II.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM.

VIRIS NOBILISSIMIS GRAVISSIMIS

ANTONIO GUSTAVO BARONI **DE GEER;**

PATRI CARISSIMO

ET

JOHANNI LUDOVICO GUILIELMO
BARONI **DE GEER,**

TOPARCHAE PAGI JUTPHAAS,

ORDINI LEONIS BELGICI, ET ORDINI SUE-
VICO STELLAE BOREALIS ADSCRIPTO,
ORDINUM GENERALIUM GRAPHIARIO,

PATRUO DILECTISSIMO,

HAS QUALESCUNQUE STUDIORUM
PRIMITIAS

D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Non mirum profecto, eum, qui aliquam cum antiquis literis familiaritatem contraxerit, summo quodam earum amore ferri. Sive enim antiquarum gentium poesin spectas, haec animum sublimitate et simplicitate percellit: sive historiam consideras, illa rerum magnitudine et varietate delectat. Nulla usquam tam illustria eloquentiae exempla adsunt, qualia nobis antiquorum scripta proponunt, eaque, quae veteres philosophi mentis ingeniique facultatibus excogitarunt, recentior aetas vix superavit.

Equidem lubenter confiteor, ab eo inde tempore, quo antiquorum scripta tractare contigit, semper me magis ea cognoscere cupiisse, illiusque temporis memoriam mihi jucundissimam esse, quod his studiis impendere licuit. Omnium vero doctrinarum, quae antiquitatem spectant, historiam principem locum tenere, nemo, credo, infitias ibit. Plurima enim, quae caeteroquin intelligi plane non possunt, ex ea sunt explicanda. Quicunque vero veteres illos, tum poetas, tum oratores, tum philosophos, intelligere recte velit, nec ad historiam attendat, nae eum saepissime graviter falli necesse est. Habet praeterea antiquarum gentium historia ipsa per se, quo nos in primis alliciat. Verissime enim Cicero eam testem

temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, nuntiam vetustatis, *dixit.*

Equidem, quum mihi summos in literis honores ambienti specimen aliquod studiorum conscribendum esset, diuque fluctuarem incertus, modo Platonis sententiam de artibus ac disciplinis pro viribus exponere cupiens, modo etiam aliquod ex Orientalibus literis disquisitionis argumentum sumens, tandem historiae antiquae aliquam partem tractare constitui. Quaenam autem causae me monuerint, ut priora consilia missa facerem, nunc dicere nil attinet.

Si vero quis roget, quid potissimum effecerit, ut Eumenis vitam eligerem disquisitionis argumentum, factum illud in primis est Cl. Heusdii *opera, qui in lectionibus suis historicis, quoties ad illum locum pervenerat, nos monere solebat de Eumene, a caeteris Alexandri ducibus bene distinguendo. Declarabat ille simul, quid de hoc viro esset existimandum, quem recentiores plerique historici cum caeteris confuderunt, non animadvertentes hunc praecipuum esse auctorem eorum, quae tum acciderunt. Rem igitur paulo accuratius investigare, atque ex ipsa rerum gestarum narratione probare haud ineptum videbatur Academicae scriptionis argumentum. Eo sane lubentius hoc mihi sumpsi, cum ea tempora complecteretur, quorum historia summi momenti est ad res deinde gestas, quae nondum satis ab omni parte explicatae sunt, rite perspiciendas. Hoc*

consilium cum a Praeceptoribus Clarissimis non improbari intellexissem, rem suscepi, et ea conquisivi, quae ad argumentum spectare viderentur. Nullius autem scripta, si antiquos ipsos excipias, tantopere mihi profuerunt, quantopere Droysenii *opera, e quibus multa me profecisse lubens fateor, quamquam nec ille adeo satis Eumenem a caeteris distinxisse videtur. Et sic quidem hic libellus exstitit, quem qui leget, aequi bonique meam opellam consulat, aliquid aetati, aliquid virium tenuitati condonet velim. Si quidem beneab antiquis dictum est:* Fructum studiorum viridem et adhuc dulcem promi decet, dum et veniae spes est, et paratus favor, et audere non dedecet: et, si quid desit operi, supplet aetas: et, si qua sint dicta juveniliter, pro indole accipiuntur.

At vero ingratus merito dicerer, nisi hoc loco profiterer, quae pietas animique sensus dicere me jubent. Te, Pater carissime, primum compellare liceat, qui studia haec mea non tantum quovis modo adjuvisti, sed nihil etiam omisisti, quo mentis vires excoli, ingenium, quantulumcunque tandem, acui, animus denique emendari potuerit. Multa sane de te dicerem, nisi te a filio laudari nolle scirem: nunc hoc tantum addam, quidquid in his literis proficere potui, tibi hoc debeo, qui monendo et suadendo puerilem petulantiam et juvenilem imperitiam numquam non optime moderatus es. Accipe grati animi testificationem, Pater optime, et ita

me amare perge, ut nunc te amare ſcio, tuoque conſilio et adhortatione reliqua etiam, quae mihi ſuperſunt, ſtudia adjuvare ne deſinas.

Cui vero in his ſtudiis plurimum debeam, est patruus aestumatisſimus. Hunc enim, *ut Ciceronis verbis dicam*, quoad longisſime potest mens mea reſpicere ſpatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, video mihi principem et ad ſuſcipiendam et ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum exſtitisſe. *Maximum ille ſe mihi fautorem praeſtitit, et quovis modo, ſermonibus, monitis, conſilio, ſtudia mea provehere non deſinens, tanta in me contulit beneficia, ut iis cumulatum me plane ſentiam. Gratias nunc Tibi, Patrue dilectisſime, pro his omnibus agere liceat, Teque orare, ut ita mihi favere pergas, ut hucusque ſemper faviſti.*

Vos autem, Praeceptores Clarisſimi, quibus verbis alloquar? Qui me eâ ſtatim benevolentiâ excepistis, cum ad haec ſtudia accederem, quâ major esſe non potuit. Tu, Cl. Heusdi, *non tantum publica tua inſtitutione mihi prodesſe voluisti, ſed ex eorum etiam numero me esſe jusſisti, quibus Tu, vespertinis horis, Platonem explicare ſoles, et cum discipulis tanquam amicis verſari. Quoties, cum Tu ita nobiscum de antiquis colloquebaris, ardore et amore ad haec ſtudia plane novo nos incenſos ſenſimus, atque nullus affirmare dubito, numquam a Te me discesſisſe, quin aliquid me profecisſe*

ſcirem vel ad melius intelligendos antiquos vel ad hominem accuratius cognoscendum. Numquam non comiter et benevole me adjuvisti et monuisti, quotiescunque dubitabundus ad Te accederem, nec umquam tuum frustra imploravi auxilium. Haec quoque de Te, Cl. GOUDOEVERI, *me profiteri animi ſenſus jubet. Quid enim tuae inſtitutioni non tantum, ſed monitis etiam et ſermonibus debeam, optime ſentio. Quoties conſilio opus esſet, aut auxilium quaererem, ſumma Tu benevolentia ſemper mihi adfuisti. In hoc autem ipſo ſpecimine elaborando, Vos, Praeceptores optimi, mihi continenter profuisſe, lubens agnosco. A Vobis, Cl.* HEUSDI *et* GOUDOEVERI, *accepi, quidquid in his literis profecerim: quodſi non majores fecerim progresſus, haec mea culpa est. Pro tantis in me meritis me vobis ſemper gratum futurum ſpondeo; Vos autem, viri Clarisſimi, dum ad alia ſtudia perficienda in hac Academia maneo, eandem mihi benevolentiam conſervate, meque e discipulorum vestrorum numero ne removeatis.*

Verum hoc etiam loco ad Te ſe convertit mea oratio, Vir Clarisſime GROENEWOUD, *qui me, ad tuam Orientalium Literarum doctrinam cum dubitans accederem, tanta ſtatim comitate et amicitia es amplexus, ut alteri quaſi parenti me tibi devinctum ſentiam. Paterna enim Tu caritate me excepisti, nec ad publicam tantum tuam admiſisti inſtitutionem, ſed in intimam recipiens familiaritatem, non discipuli, ſed*

filii fere loco me habuisti. Tibi debeo, Vir Clarissime, quidquid in Orientalibus literis profecerim, Tuis exhortationibus, monitis, auxilio effectum est, ut in his studiis perrexerim, et jam tanto eorum amore ducar, ut ulterius progredi in hisce unice cupiam. Tu, praeceptor optime, ne mihi desis, sed eam mihi amicitiam, eum erga me animum serves, quem hucusque sum expertus.

Vos omnes, Viri Clarissimi, quorum disciplina in his literis uti mihi contigit, gratias accipite quam maximas pro institutione vestra. Diu Vos incolumes Summum Dei Numen servet, semperque habeatis discipulos, qui vestra digni sint cura.

Vos denique, Amici, quibuscum his literis operam dedi, alloqui liceat. Nondum vobis valedico, nam alia etiam studia me apud vos retinent; nolim tamen committere, ut hac opportunitate non publice profitear, quanti eam faciam amicitiam, quae studiorum communitas primum junxit, confirmavit deinde morum similitudo. Jam vero vos, Amici, exhortari liceat, ut amicitiae sacra pie colere pergamus, et, dum fata sinunt, id vinculum firmum maneat, quod nos conjunxit. Hoc equidem sancte promitto, me omni opera effecturum, ut fidum vestraque dignum amicitia me praestem.



CONSPECTUS.

PROOEMIUM.

PARS PRIMA.

DE FONTIBUS, EX QUIBUS NOTITIA DE EUMENIS VITA PETENDA EST.

PARS SECUNDA.

EUMENIS VITA.

PARS TERTIA.

EUMENIS CHARACTERISMUS.





PROÖEMIUM.

Quod Horatius dixit: *vis consilii expers mole ruit sua*, saepius in gentium historia comprobatum videmus; maxima enim regna cito corruerunt, cumque jam nihil superandum superesset, ipsa internis discidiis et bellis interierunt. Complura quis tum ex antiquorum, tum etiam ex recentiorum populorum historia excitare hujus rei exempla possit, at nullum illustrius illo est, quod Alexandri Magni ejusque successorum historia praebet. Condidit ille imperium, quod cultissimas Europae Asiaeque gentes continebat, Persas, qui Graecis in Europa ita metuendi fuerant, sibi subjecit, pervenit in Indiam, quo nemo antea ex Europa fuerat progressus, nec dum his factis perfecerat, quae mente agitabat. Cum ad Orientem imperii fines latius extendere haud posset, Occidentem versus progredi voluit, et maximos fecit apparatus, cum ipse, aetatis flore, subito est exstinctus. Maxima quaeque animo volvens Alexander rebus humanis est ereptus, et cum illo

latum hoc imperium corruit. Non erat, qui illi fuccedere posfet: duces, quos fecum habuerat, finguli fibi aliquid acquirere avebant, inhiabant provinciis, et vincula, quae totum regnum continuerant, foluta erant, et morte Alexandri confracta. Sequuta funt perpetua inter illos bella, quibus imperium, quod intermedium erat, dilaceratum fuit, quaeque non ante funt compofita, quam omnium vires esfent exhaustae et Alexandri imperium penitus interiisfet. Habet autem horum temporum historia, quo nos alliciat, atque delectet. Tum enim multi prodierunt, quorum ingenii mentisque dotes admirari debemus, alios fagacitate et prudentiâ, peritiâ militari et fortitudine alios infignes deprehendimus. Sunt, quos admireris, funt quos, ames, funt item, quos oderis, nec ullum facile tempus tot, tamque varii ingenii homines protulit, qui omnes fummâ virium intentione, fibi invicem oppofiti esfent. Hoc ipfum tamen effecit, ut difficillimum fit, rerum, quae tum gestae funt, causfas et ordinem, tum vero etiam illa principia, e quibus reliqua omnia orta funt, rite perfpicere. Quodfi aliquando horum temporum historiam bene intelligere velimus, hoc imprimis agendum est, ut rite discernamus et distinguamus. Ita enim habebimus, cui infistentes, turbas istas, quae Europam tum et Afiam agitarunt, optime discernere rerumque rationem perfpicere posfimus. Veruntamen hoc illud est, quod plurimi

historici neglexerunt. Egerunt de Alexandri ducibus, eorumque facta expofuerunt, quafi omnes eodem propofito eodemque modo bella gesfisfent, mores, ingenium vivendique rationem fingulorum non attenderunt, et de omnibus fimul eadem ratione agentes, effecerunt, ut faepe fumma confufione et obscuritate haec historiae pars prematur. Quo vero accuratius eos confideramus, qui post Alexandrum inclaruerunt, eo majorem inter eos diverfitatem animadvertere licet, quae rite perfpecta dici vix potest, quantum conferat ad res gestas rite intelligendas et explicandas. Unus autem inter Alexandri duces est, qui prae caeteris nos advertat, Eumenes Cardianus, qui aliam vitae rationem ac caeteri nactus, diverfa ab omnibus deinde confilia habuit, et vindex regiae familiae dici maluit, quam fibi aliquid acquirere. Hic folus fefe omnibus oppofuit, et, cum caeteri regiam domum contemnerent et odio perfequerentur, ipfe hujus jura ut defenderet, nullos labores nullasque molestias detrectavit, et vitam citius, quam fidem deseruit. Illius opera factum est, ut tamdiu haefitarent duces caeteri, antequam regium fibi nomen asfumerent, et nemo fuit, qui dum ille vixit, hoc nomine gloriari fit aufus. Hujus, ut recte Nepos monuit, fi virtuti par data esfet fortuna, non ille quidem major, fed multo illustrior atque etiam honoratior fuisfet: quod magnos homines virtute metimur, non fortuna. Quapropter nobis hujus viri vitam

accuratius paulo investigare propofuimus, quo melius ipfum cum cognosceremus, tum imprimis a caeteris fuccesforibus Alexandri distingueremus. Qua in re fi aliquid conferre licebit ad horum temporum intelligentiam patefaciendam, non fane vanus labor erit. Ut autem rite procedere posfimus, primo agendum est, de iis auctoribus, quorum auctoritate in tradenda Eumenis historia, ufi fumus, deque fontibus, ex quibus illi ipfi profecerunt, ut fic nobis de fide ipforum historica conftare posfit, deinde Eumenis vitam enarrabimus, ut tandem viri indolem adumbremus, atque eum cum caeteris comparemus Alexandri fuccesforibus, ut inde appareat, quantopere fuerit ab omnibus diverfus.

PARS PRIMA.

De fontibus, ex quibus notitia de Eumenis vita petenda est.

Cum de re aliqua agitur, quam ipſi non vidimus, sed cujus notitia ab aliis est petenda, necesſario prius de fide eorum nobis conſtare debet, qui eam nobis tradiderunt, ſi quidem verum ac falſum rite discernere velimus. Est hoc quidem in historia ſaepe difficile, aestimare, quid ſingulis auctoribus ſit tribuendum, ſed unica tamen via est, qua tuto procedere, imprimis in antiquarum gentium historia posſis. In ea vero maximam etiam difficultatem quaeſtio habet de fide, quam ſcriptores merentur. Multi enim nobis interierunt auctores, et plurima ab iis accepimus, qui ne tempore quidem vixerunt, quo ea gesta ſunt, quae tradunt. Hi multo post historiam ſcribere aggresſi, ex prioribus profecerunt, quorum ſcripta nostrae aetati periere. Quum igitur de eorum fide quaeratur, prius illorum rationem habere debemus, quorum hi vestigiis inſtiterunt, quod eo est difficilius, quo minus antiquiores illos novimus. Ex iis, qui Alexandri Magni ejusque ſuccesſorum historiam ſcripſerunt, ſcripta nullius ſuperſunt, qui ipſe eorum tempore vixerit, et nihil ad nos

pervenit ex bene multis historicis, quos haec aetas tulit, nifi quae illi, longo intervallo ab iis distantes, hinc in fua fcripta derivarunt. Quibus autem plurimum debemus in historia horum temporum, funt Diodorus Siculus, Plutarchus et Arrianus; ubi vero de Eumenis vita agitur, non negligendus Cornelius Nepos est, qui inter caeteros hujus quoque vitam defcripfit. Verum Arriani opus de fuccesforibus Alexandri fere nobis periit, et ea tantum, quae inde Photius excerpfit, funt fervata, quod eo magis est dolendum, quo accuratius illum in historia confcribenda verfatum esfe novimus. De ipfius fide igitur quaerere vix opus, in primis in Eumenis rebus, cum paucisfima narret, quae non ex aliis nota fint, et temerarium videretur definire, quos ille fequutus fuerit, nifi illum gravisfimos tantum auctores fequi, esfet cognitum. Superfunt igitur Diodorus, Plutarchus et Nepos, de quorum fide jam quaerere debemus; qua in re ita rite verfari poterimus, fi quos duces in historia confcribenda fequuti fint, investigaverimus.

§ I.

Investigatur, quosnam potisfimum auctores, in Eumenis historia tradenda, fequuti fint Diodorus Siculus, Plutarchus, Cornelius Nepos.

De antiqua historia optime fane meruit Diodorus, ex Sicilia oriundus, qui Julii Caefaris et Augusti temporibus,

magnum opus condidit, quo univerſam historiam tractavit. Ex quadraginta, quibus conſtitit, libris plurimi perierunt, ſed ii, qui ſuperſunt, multa continent, quae plane ignota esſent, niſi ibi invenirentur. Unus inter omnes ex antiquitate historicos, historiam eorum, qui Alexandro ſucceſſerunt, plene tradidit, cum ab aliis tantum vitas quasdam deſcriptas acceperimus, alii tam perverſe et praepostere res narraverint, ut ex Diodoro explicari debeant, quales Justinum, Polyaenum, Oroſium excitasſe ſufficiat. Praecipuus igitur ille dux est, per horum temporum historiam, quamvis ſint vitia, quae haud immerito in ipſius historia reprehendas. Sed de eo primum inquirendum, quosnam ipſe ſibi duces elegerit[1].

Aptisſimum profecto nomen ſuo operi inſcripſit Diodorus, cum illud βιβλιοθήκην ἱστορικήν nominaverit. Magna etenim ex parte excerptis conſtat, ex aliorum ſcriptis confectis, quae auctor ita ordinavit, ut inde unum atque continuum opus conficeret, atque ſingula facta ad annum, quo gesta esſent, referret. Ex his facile quisque videt, apud Diodorum in primis, ſummi momenti esſe, ipſius fontes investigare, quibus in ſingulis operis partibus uſus ſit. Non autem eos nominatim laudare ſolet, ſed, aliqua narrationis parte abſoluta, eos recenſet, qui de eodem argumento egerunt, eorumque ita describit opera, ut hinc conjicere probabiliter posſis,

1 De Diodoro vid. *Ersch* und *Grüber* Encyclop. I. Sect. V. XXV. p. 293 ſqq.

quos ipſe noverit, et ſit ſequutus [1]. Nonnumquam etiam in ipſa rerum narratione, talia intexuit, quae auctorem facile prodant, qui Diodoro viam indicaverit. Sic quoque in ſucceſſorum Alexandri historia, ipſe quidem neminem ex historicis hujus temporis citavit, ſed haud deſunt tamen indicia, *Hieronymum* Cardianum fuiſſe, quem prae caeteris omnibus ſequutus fuerit. Saepius hunc virum nominavit, qui, ut ait ipſe Diodorus, τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας γεγραφὼς, τὸν μὲν ἔμπροσθεν χρόνον ὑπ' Εὐμένους τιμώμενος διετέλεσε· μετὰ δὲ τὸν ἐκείνου θάνατον ὑπ' Ἀντιγόνου ἐτύγχανε φιλανθρωπίας καὶ πίστεως [2]. Et talia nonnumquam occurrunt, quae adeo cum Eumenis, Antigoni, et ipſius Hieronymi rebus cohaereant, ut nemo alius ea tradidiſſe videatur, praeter illum, qui ipſe iis interfuerit. Nec deſunt etiam vestigia, quae indicent, quam accurate illum ſequutus fuerit Diodorus; neminem enim fugit Eumenis et Antigoni historiam curioſius a Diodoro narrari, quam illa, quae alii geſſerunt, et quamvis hos non negligat, placet ſibi praecipue in illorum factis accuratius tradendis et celebrandis. Unde illud? Scilicet praeiverat ei, ut putamus, Hieronymus, qui ea, quibus ipſe interfuerat, certe enucleatius tradidit, in primis cum de ipſius amicis et fautoribus ageretur, quam aliorum facinora.

---

1 XII 37 XIII. 42. XIV 84. XVI 71. et ſaepius.

2 XVIII. 42. 50, XIX. 44. cf. *Schloſſer*, Univerſalhist. Ueberſ. der Geſch. I. III. p. 397.

Quid? quod talia occurrunt, in quibus fcriptorem agnofcimus, qui res ipfe oculis ufurpavit, uti descriptio illa pugnae fingularis Eumenem inter et Neoptolemum, et Norae obfesfionis. Praeterea Hieronymi opus antiquitus in primis celebratum jam fuisfe videtur, cum non tantum ab aliis quoque faepius nominetur, fed ipfum ejus nomen fponte commendationem haberet, quippe qui in illorum temporum rebus aliquam ipfe partem habuisfet. Haec omnia eo faciunt, ut non dubitandum videatur, quin Hieronymus Diodoro dux in hac historiae parte fuerit [1], quod inde etiam confirmare posfis, nullum alium a Diodoro citari, qui de his egerit, quae in Afia tum acciderunt, fi unum *Duridem* Samium excipias. *Diyllus* enim Atheniensis [2], *Pfaon* Plataeenfis et *Timaeus* Tauromenita [3],

---

1 *Heyne*, de fontibus Diod. Siculi. Com. III. p. 113. (V. VIII. Act. Societ. Gott.) *Mannert*, Gefchichte der Unmitt. Nachfolger Alexand. p. 366, putat folum Hieronymum in tota fuccesforum historia (L. XVIII et XIX) a Diodoro esfe expresfum, fed hoc merito improbavit *Droyfen*, Gefchichte des Hellenismus. p. 671. cf. porro *Heeren*, de fontibus et auct. Trogi Pomp. p. 221. (V. XV. Act. Societ. Gott.) et comm. II. de fontibus et auct. vit. Plut. p. 68. (V. III. Act. rec. Societ. Gott.)

2 XVI. 15. Excerpt. XXI. 5.

3 Excerpt. XXI. 5. *Heyne*, l. l. p. 109. *Droys.* l. l. p. 672, de Timaeo vid. *Goeller*, de fitu et origine Syracufarum p. 204 fqq. Ceterum Clitarchi opus historiam fuccesforum Alexandri non attigisfe videtur, vid. *Fabric.* Bibl. Gr. V. III. p. 38. *St. Croix*, Examen Critique des hist. d'Alexandre le Grand. p. 41 fqq. et Agatharchidis opus περὶ τῶν διαδόχων (Fl. Joseph. Ant. Jud. XII. 1. p. 388 C) non nifi partem fuisfe est probabile operis περὶ Ἀσίας, quod magis geographicum, quam historicum fuit

ea tradiderunt tantum, ut est verosimile, quae in Europa, Graecia praecipue et Sicilia, acciderunt, Asiae vero res, vel omnino non attigerunt, vel leviter et raptim tractarunt. *Duris* autem Ptolemaei Philadelphi tempore vixit [1], et opus magni ambitus edidit, quod Ἑλληνικὰ vel Μακεδονικὰ vocavit, si saltem hisce nominibus, quod negant nonnulli, idem opus significetur [2]. Complexus eo fuerat ea, quae Philippus et Alexander gesserant, bellaque deinde exorta, certe usque ad Lysimachi mortem. Fuit ille, judice Cicerone, homo in historia diligens [3], attamen, si ex iis, quae rara ejus operis supersunt fragmenta, judicare licet, non magna ejus fuit auctoritas, quippe qui historiolis rerumque minutarum descriptione in primis delectaretur. Plutarchus praeterea eum saepius reprehendit, improbavit Dionysius Halicarnassensis [4], et nota est vana arrogantia, qua ipse Theopompum judicavit [5]. Quid Duridi debeat Diodorus, in iis, quae ad Eumenis vitam pertineant, definiri certo non potest, verum, si illum

vid. *Fabric.* l. l. p. 32. *Heyne* l. l. p. 88. Hoc citat Diodor. III. 11 ubi vid. *Wessel.* p. 181.

1 Diod. XV. 60. *Droys.* l.l. p. 671.

2 *Vossius* de historicis Gr. p. 85. *Heeren* de font. et auct. Plut. comm. I. p. 26. II. p. 66. *Heyne* l.l. p. 112. *Fabricius* Bibl. Graec. V. III. p. 41. *Sainte-Croix* l.l. p. 53 sq.

3 Cicero ad Atticum VI. 1.

4 Dionys. de composit. verbor. p. 5. ed. *Sylb.* T. II. p. 9. 23. ed. *Hudson.*

5 Photius Biblioth. Cod. CLXXVI. p. 204. cf. *Wichers* de Theopompo p. 43.

cum Plutarcho comparamus, quem conſtat Duridi perparum tribuisſe, non probabile videtur, Diodorum eum multum conſuluisſe. Plutarchus autem Duridem nominat in ipſo vitae Eumenis principio, ut illum reprehendat, qui mira quaedam more ſuo narraverit, unde facile conjicias, quid de Duridis fide Plutarchus ſenſerit. Qui vero inter ſeſe ea, quae Diodorus et Plutarchus tradiderunt, comparaverit, continuo videbit, utrumque ex iisdem fontibus profecisſe: ita ſecum conſentiunt, tum in univerſa rerum narratione, tum etiam in factis ſingulis narrandis. Qua in re tamen illud ſemper tenendum est, ſcriptionis genus plane diverſum iis placuisſe, nam, cum Diodorus historiam ſcribere ſit aggresſus, Plutarchus vitas compoſuit. *Ὥσπερ οὖν*, inquit, *οἱ ζωγράφοι τὰς ὁμοιότητας ἀπὸ τοῦ προσώπου καὶ τῶν περὶ τὴν ὄψιν εἰδῶν, οἷς ἐμφαίνεται τὸ ἦθος, ἀναλαμβάνουσιν, ἐλάχιστα τῶν λοιπῶν μερῶν φροντίζοντες, οὕτως ἡμῖν δοτέον εἰς τὰ τῆς ψυχῆς σημεῖα μᾶλλον ἐνδύεσθαι, καὶ διὰ τούτων εἰδοποιεῖν τὸν ἑκάστου βίον, ἐάσαντας ἑτέροις τὰ μεγέθη καὶ τοὺς ἀγῶνας* [1]. Ex hisce quidem omne, quod ſibi in vitis propoſuit, conſilium Plutarchi, explicari debet, atque ita intelligimus, quomodo factum ſit, ut in ceteris vitis, nec minus in vita Eumenis, multa praetermiſerit, quae ſine dubio apud illos invenit, quos ſequebatur, quaeque alii nobis tradiderunt.

1 Plutarch. vit. Alexandri c. 1. V. III. p. 111. Ed. *Schaefer.* cf. *Mannert* l.l. p. 367 ſq.

Festinantius igitur ageret, qui hinc concluderet, alios alteri adfuisse auctores [1], in primis cum ea, quae summi sunt in historia momenti, saepius vitarum auctori minoris sint habenda. Quis etiam nescit, Plutarchum, et accurate auctores contulisse, et non sine judicio optimos fere sibi elegisse, ex quibus proficeret. Quemnam igitur sibi potius in Eumenis vita sumeret, quam Eumenis amicum Hieronymum, qui certe omnium accuratissime de ipso tradidit? Notum vero fuisse Plutarcho Hieronymi opus, non est quod dubitemus, cum ipse alibi illud laudaverit [2]. Longe itaque plurima, quae in Eumene legimus, Hieronymo esse tribuenda, nullus dubito; in primis vero, quae sub finem de ultimis Eumenis fatis, de praelio cum Antigono, de Argyraspidarum, qui eum Antigono prodiderunt, perfidia, ac de morte Eumenis narrat. Copiosius scilicet haec a Plutarcho, quam a Diodoro exposita sunt, omnemque hunc locum tantum non integrum ex Hieronymo descriptum esse, admodum verosimile est [3]. Plutarchus tamen *epistolas* etiam Eu-

1 Non erat igitur cur dubitanter quodammodo *Droysen* l. l. p. 682 diceret: „Wenn Hieronymus in der That, wie es die „gewöhnliche Ansicht ist, dem Diodor und dieser Biographie „des Plutarch zum Grunde lag, so muss man gestehen, dass „Beide aus derselben Quelle sehr abweichend excerpirten." Quid? quod nonnumquam Plutarchus et Diodorus prorsus conveniunt v. c. Plut. vit. Eum. c. 8. p. 496 et Diodor XVIII. 37. initio.

2 Plutarch. vita Pyrrhi c. 17. 21. 27. V. II. p. 187. 192. 199.

3 Sunt verba *Heereni* Comm. II. de font. et auct. Plut. p. 68.

menis consuluit, ad quas semel provocavit[1], de quibus nil constat. Fortasse collectio earum instituta fuit, vel etiam Hieronymus eas suae historiae inseruerat, uti saepe facere antiqui solebant[2]. Quidquid est, maximam quaestionis partem, de fide Diodori et Plutarchi ab Hieronymi historica fide pendere, jam satis apparere arbitror. Cum autem, quae de Plutarcho diximus, eadem fere de Nepote[3] dici possint, ille quoque Hieronymum sequutus esse videtur. Nam ita ille cum Plutarcho consentit, nisi quod multo brevius res enarret, ut eundem ducem facile agnoscamus, quamvis uterque suos fontes indicare neglexerit[4]. Habet autem hoc proprium sibi Nepos, ut imagines nobis revera virorum illustrium, quasi in tabula depictas, exhibuerit. Plutarchus vitas descripsit, inde a juventute ea memorans, quae praecipua essent, et plu-

---

1 Plut. vit. Eumen. c. 11. V. II. p. 499.

2 Quod e Luciano, *Pro lapsu in salutando* c. 8. sic probare possis, si ostendas ea omnia, quae ibi memorantur, ex Hieronymi opere desumpta esse, cum omnia saltem ea tempora attingant, de quibus egit ille.

3 Quoties Nepotem dico, scriptorem intelligo collectionis illius vitarum illustrium virorum, quae ejus nomine ad nos pervenit. Quaestio enim de earum auctore, aliquando consopita, nuper denuo agitata fuit, cf. *Lieberkuehnius-Pohlmannianus*, de auctore vitarum, quae sub nomine Corn. Nepotis feruntur, quaestt. Criticae, p. 35—67, sed ad hunc locum non pertinet.

4 *Lieberkuehnius*, l. l. p. 171. *Hisely* Disquisitio Critica de fontib. et auct. Corn. Nepotis p. 102. *Wichers* de fontib. et auct. Nepotis p. 79.

rimum conducerent ad rite intelligendam totam viri rationem; accurate ille omnia dijudicavit, et ordinavit ita, ut, perlecta vita, de viro judicare rite possimus. Nepos vero, multo minus de hominum factis nobis servavit, sed ea tradidit, quibus hominem nobis ipsi proponere, imo eum intueri possimus, atque ejus opus imaginum collectionem haud immerito dicas. Sić quoque in Eumenis vita, si historiam spectas, in paucis ex Nepote proficere licet, at vero plurimum idem confert, ut ipsum Eumenem accurate cognoscamus, et viri indolem penitus percipiamus. Plurima autem, quae adhibuit, ut hanc perficeret Eumenis quasi effigiem, non dubito, quin ex Hieronymo petierit; cujus quidem viri auctoritas in Eumenis historia tanta est, ut, nisi de eo accuratius egeris, et de fide ipsi tribuenda tibi constiterit, incerta semper futura sit omnis de Eumene notitia, in primis cum non eodem modo omnes de Hieronymo judicaverint.

§ II.

De Hieronymo Cardiano.

Natus est Hieronymus Cardiae, in Chersoneso Thracica, Olymp. C, anno 2 aut 3[1], ut efficitur ex Luciani loco, qui eum narrat vitam ad centesimum quar-

---

1 *Sévin*, Recherches sur la vie et sur les ouvrages de Jerome de Cardie. In opere: Memoires de l'Academie des Inscriptions V. XIII. p. 21.

tum annum protraxisſe, quamvis multos et graves labores ſubiisſet [1]. De ejus juventute nil traditum accepimus, ut adeo prorſus incertum ſit, utrum jam in Philippi et Alexandri aula fuerit verſatus, an vero obſcuram agere in patria vitam maluerit. Primum quidem ejus nomen in historia invenimus, cum post Alexandri mortem, cum Eumene verſaretur, ſed magis tamen est probabile, jam ante eum rebus interfuisſe, cum per reliquam vitam fere in regum aulis degerit, cum iisque fuerit verſatus. Praeterea in politicis rebus verſantem cernimus Hieronymum ita, ut facile non novitium, ſed rerum peritisſimum eum cognoscamus [2]. Quidquid est, post Alexandri mortem Hieronymus maxima cum Eumene amicitia conjunctus fuit, et cum illo varias fortunae vicisſitudines pertulit. Cum vero hic castello quodam Nora incluſus, ab Antigono obſideretur, Hieronymum, tanquam legatum miſit ad Antipatrum, qui ex Macedonia ſibi auxilia arcesſeret [3]. Sed frustra, nam, rebus perturbatis, rediit quidem Hieronymus, ſed ſine copiis, et ad amicum ne pervenire quidem potuit, cum

1 Lucian. de Macrobiis c. 22.

2 *Sévin.* l.l. p. 20 putat Hieronymi jam mentionem occurrere apud Demosthenem, tanquam legati Philippi ad Arcades, ſed vir doctisſimus incurioſius videtur legisſe Demost. de falſa legat. p. 201 C. ubi jam Ulpian. p. 82 B. monuit eundem Hieronymum esſe intelligendum, qui memoratur Demost. de Corona. p. 354 C. Edit. *Wolfii* 1572 cf. Harpocrat. in voce p. 90 ibiq. *Vales.* p. 94. 130. unde patet hunc Arcadem fuisſe, et proditorem.

3 Diod. XVIII. 42.

hostes illum undique cingerent. Degit tum in Afia minore, unde illum Antigonus ad fe vocavit, ut ejus opera uteretur, atque Eumeni perfuaderet, ut fefe cum Antigono conjungeret [1], fed Eumenes, hosti fidem non habens, tales conditiones accipere noluit, et Hieronymum apud fe retinuit, quem deinde in omnibus expeditionibus comitem habuit. Deinde autem Argyraspides, milites veterani, Hieronymum una cum Eumene Antigono prodiderunt, eosque ad ejus castra deduxerunt [2]. Interfectus tum Eumenes est, Hieronymus vero apud Antigonum manfit, qui virum tanti fecit, ut fummo loco apud fe haberet, atque illum Syriae parti praeficeret, ut curam haberet lacus Asphaltidis, atque, navibus constructis, ibi colligeret bitumen. Magnum enim lucrum inde rediturum fperavit Antigonus, fed fefellit eum fpes, nam fupervenientes Arabes plurimos interfecerunt, et Hieronymus fefe ad Antigonum recipere coactus est [3]. Huic adfuisfe deinde videtur, ejusque filio Demetrio, qui quidem tantam de eo fiduciam habuit, ut illum Boeotiis *ἁρμοστὴν καὶ ἐπιμελητήν* reliquerit [4]. Per ultima vitae tempora apud Antigonum Gonatam vixit, et opus fuum historicum elaboravit, quod ad Pyrrhi mortem

---

1 Diod. XIX. 50.
2 Diod. XIX. 44.
3 Diod XIX. 100. *Sévin.* l.l. p. 24.
4 Plut. vit. Demetrii c. 39. V. IV. p. 31. *Sévin.* l.l. p. 27.

continuasſe dicitur[1]. Dubitatum autem de ejus ſcriptis est; cum haud uno modo ab antiquis laudentur. Diodorus illum vocat τὸν τὰς ἱστορίας συγγράψαντα, vel συνταξάμενον, τὸν τὰς τῶν διαδόχων ἱστορίας γεγραφότα, Dionyſius eum citat ἐν τῇ περὶ τῶν ἐπιγόνων πραγματείᾳ [2]; Plutarchus eum ſimpliciter τὸν ἱστορικὸν vocat, Joſephus illum τὸν τὴν περὶ τῶν διαδόχων ἱστορίαν συγγεγραφότα appellat[3]. Suidas denique testatur, illum τὰ ὑπ' Ἀλεξάνδρου πραχθέντα ſcripſisſe [4]. Fuerunt igitur, qui duo eum opera edidisſe ſtatuerent, alterum de Alexandri Magni rebus gestis, de ejus ſuccesſoribus alterum [5], verum ita mirum, nullibi prioris operis mentionem fieri apud alios antiquitatis ſcriptores, ſi unum Suidam excipias, cum alii bene multi, iique Hieronymo ſine dubio multo inferiores, pasſim

---

1 Plut. vit. Pyrrhi c. 17. 21. 27. V. II. p. 187. 192. 199.

2 Dionys. Archaeol. Rom. p. 5. V. I. Ed. *Hudſ.*

3 Joſeph. Contr. Apion. I. p. 1050 F.

4 Suidas v. Ἱερώνυμος V. I. p. 1744. Ed. Gaisf. locum hunc varie tentarunt eruditi. Leopard. Emend. XI. 9. legit ἐπ' Ἀλεξάνδρῳ i. e. *post Alexandrum*, quod confirmat *Sévin.* l.l. p. 29 citans Appian. de bellis Syr. p. 142 Ed. *Tollii*, ubi: Λυσίμαχος -- ἐπὶ Ἀλεξάνδρῳ βασιλεύσας, *qui post Alexandrum regnavit*, alii tamen, in iisque *Vosſius* de hist. Gr. p. 75. *Kuster*, *Gaisford* ad h. l., praeferunt ὑπ' Ἀλεξάνδρου, quod cum Codd. ſcriptura magis convenit, et quod deſerere non auſus ſum.

5 *Mannert* l. l. p. 357. vulgo ad prius opus refertur Hieronymi fragmentum apud Appian. de bello Mithrid. p. 302, ſed pertinere illud potius videtur ad eam operis alterius partem, qua Eumeni tributam a Perdicca provinciam, eaque quae proxime deinde ſequuta ſint, narraverat. cf. de eo fragm. *Droyſen*, Geſchichte Alexanders, p. 153.

audentur, et alterum Hieronymi opus magnam celebritatem nactum sit. Alii propterea, iique multo probabilius, unum idemque opus esse intelligendum monuerunt, quod praecipue quidem de Alexandri successoribus egerit, simul tamen Alexandri vitam descripserit, et eodem fere, quo Nymphis Heracleota usus est, titulo inscriptum fuerit: περὶ Ἀλεξάνδρου καὶ τῶν Διαδόχων καὶ Ἐπιγόνων [1]. Et sane vix potuit Hieronymus res, quae post Alexandri mortem acciderunt, rite exponere, nisi multa de ejus vita praemisisset, ita ut vix sit dubitandum, quin unum opus sit intelligendum, quod breviorem vitae Alexandri conspectum, uberiorem autem rerum deinde gestarum expositionem continuerit. Si quis tamen Hieronymi opus peculiare de Pyrrho fuisse putet [2], non facile ille inveniet, quibus suam opinionem possit probare, cum potius multa sint, quae illi obstent, quae hoc loco memorare nil attinet. Quaerendum vero de Hieronymi fide. Est profecto haec quaestio difficilis, cum tam pauca de ejus scriptis ad nos pervenerint, omniaque quae de horum tem-

1 *Droysen* l. l. p. 670. *Geier* Comment. de Alex. M. scriptoribus particula. p. 4-7. *Kiesslingii* commentatione de Menaechmo Sicyonio et Hieronymo Cardiano aegre carui. Praeiverat jam quodammodo *Vossius* l. l. p. 75, qui tamen miro modo Hieronymum Cardianum cum Hieronymo Rhodio et altero Aegyptio confudit. cf. *Ersch.* und *Grüb.* Encycl. Sect. II. V. VIII. p. 72. Quo jure *Facius* ad Pausaniam I. 9. V. I. p. 33. Hieronymum *rerum Sicularum scriptorem* dixerit, ipse videat.

2 *Sévin* l. l. p. 32 sqq. ab ea opinione non alienus est.

porum historia fciamus, ei debeantur, ut non fit quocum ea conferas, quae tradidit. Superest, ut primum videamus de opportunitatibus, quae illi ad historiam fcribendam adfuerint. Et in his illud praecipue quidem obfervandum, eum de iis temporibus fcripfisfe, quibus ipfe vixerit. Habet hoc fcilicet haud parvam commendationem, quia ita fcriptor multa, melius et accuratius potest tradere, quam fi de iis agat, quae ipfe ab aliis accipere debuit, quamvis fit verum, aequalem difficilius primariam historiae legem fervare, ut fine ira et odio fcribat, qui ipfe res viderit, iisque interfuerit. Posteritati enim liberum demum judicium de rebus est concesfum. Praeterea verfatus fuerat Hieronymus cum plurimis, quorum facta descripfit, eos penitus potuerat cognoscere, et apud nonnullos adeo fuit acceptus, ut res maximi momenti per eum egerint. Eumenis, Antigoni, Demetrii amicus fuerat et expeditionum focius, verfatus fuerat verofimiliter jam in Philippi et Alexandri aula, deinde legationes obierat, et illis adfuerat, qui maximam auctoritatem tenebant. Si quis alius, ille arcana omnia regum confilia, quorum confcius fuit, potuit describere, fcivit, quid fibi propofuisfent, quid mente agitasfent, multarumque rerum caufae, quae vulgo ignotae esfent, ipfi patere debuerunt. Non etiam mediis rebus ereptus fuit Hieronymus, fed vitam eo usque produxit, ut ipfe viderit, quo res abiisfent, et bellorum tumul

tuumque quis fuisset finis. Valere haec omnia eo debuerunt, ut in primis talis esset Hieronymus, qui accuratam rerum narrationem traderet, multaque probabilius quam alii, exponeret. Attamen non prorsus fortasse immerito de ipso illud jam antiqui usurparunt: ἀνδρὶ βασιλεῖ συνόντι ἀνάγκη πᾶσα ἐς χάριν συγγράφειν [1]. Praeterquam enim, quod ab omni partium studio ille aegre se liberare possit, qui in regum aula versatur, multa sunt, quae cogitare, non vero libere proferre liceat, et tempori aliquid, aliquid hominibus ipsis concedendum, animique judicium cohibendum est nonnumquam. Non mirum igitur de Hieronymo traditum legi, eum nonnumquam de Antigono melius, pejus de aliis regibus fuisse loquutum: Ἱερώνυμος δὲ ἔγραψε Καρδιανὸς, Λυσίμαχον τὰς θήκας τῶν νεκρῶν ἀνελόντα, τὰ ὀστᾶ ἐκρίψαι. Ὁ δὲ Ἱερώνυμος οὗτος ἔχει μὲν καὶ ἄλλως δόξαν πρὸς ἀπέχθειαν γράψαι τῶν βασιλέων, πλὴν Ἀντιγόνου, τούτῳ δὲ οὐ δικαίως χαρίζεσθαι· τὰ δὲ ἐπὶ τοῖς τάφοις τῶν Ἠπειρωτῶν, παντάπασίν ἐστι φανερός ἐς ἐπήρειαν συνθεὶς, ἄνδρα Μακεδόνα θήκας νεκρῶν ἀνελεῖν [2]. Tum de Pyrrhi morte etiam alia, quam vulgo, tradidisse dicitur [3]. Nobis non licet certo definire, quid veri hisce insit, attamen non nimis etiam illud urguendum videtur, cum ipse Pausanias,

1 Pausan. I. 14.
2 Pausan. I. 9.
3 Pausan. I. 14.

non ſine dubitatione, illum tantum dicat *videri* invidioſius de regibus tradidisſe, et affirmet tantum hoc unum, de Lyſimacho falſa eum retulisſe, *τῷ δὲ Ἱερωνύμῳ τάχα μὲν που καὶ ἄλλα ἦν ἐς Λυσίμαχον ἐγκλήματα, μέγιστον δὲ, ὅτι τὴν Καρδιανῶν πόλιν ἀνελὼν Λυσιμαχίαν ἀντ' αὐτῆς ᾤκισεν* [1]. Quis vero hoc antiquo historico, patriae amore flagranti, non condonet, ſi patriae everſori minus faverit? Neutiquam omnem culpam ab Hieronymo removere volumus, quod certe temerarium esſet, ſed illud ſolummodo probare, de ejus fide dubitandum non esſe, ubi de factis agitur, et ſimplici rerum narratione, quum optimae illi opportunitates adfuerint, ut omnia rite et certe cognoscere posſet. Ubi vero de rebus judicavit, hominum mores deſcripſit, ſingula facta laudavit aut reprehendit, tum maxime hoc obtinuisſe putem, quod de ipſo ſuspicatos esſe nonnullos, Pauſanias tradit. Quicunque autem ex ipſo profecerunt, multo magis rerum historiam, ex ipſo petiverunt, quam de rebus judicium; et ſi non libero omnino animo ad historiam accesſit Hieronymus, ſequentes, qui illi rerum ſcientiam debebant, ea ſine dubio ipſi mutarunt aut omiſerunt, quae illum minus juste ſcripſisſe ſcirent. Est vero quod magis etiam probet, illud, quantumcunque fuerit, partium ſtudium, non Hieronymi mentem ita invaſisſe, ut etiam ipſa facta minus rite proderet. Integrum enim et pruden-

1 Pauſan. I. 9.

tem animum in ipso animadvertimus, et veritatis studium. Non solum enim ingenio excelluisse ille putandus est, quem sibi amicum plures reges habuerunt, cujusque opera saepius in rebus summi momenti sunt usi, sed etiam, ubi fide et integritate opus esset, Hieronymum ab iis adhibitum videmus. Novimus praeterea, quam fidum sese amicum Eumeni praestiterit, quem ante non deseruit, quam cum illi mortuo prodesse amplius non posset, et quam deditus Antigoni filio manserit, quem in Graecia non reliquit. Legimus etiam eum, cum de Pyrrho ageret, non ea tantum narrasse, quae auditu percepisset, sed ipsa βασιλικὰ ὑπομνήματα consuluisse [1]: probabile item est, eum illos etiam commentarios inspexisse, quibus Antigonus omnia notare solebat [2]. Non festinanter aut incaute igitur, sed circumspecte in sua historia progressus, veritatem investigare conatus est. Quod vero animadvertisse in primis attinet de Eumenis historia, illud est: haec ipsa necessitudo, quae Hieronymum inter et Eumenem primo, deinde inter eum et Antigonum intercessit, effecit, ut in Eumenis rebus non potuerit non vera tradidisse. Si enim ab una parte eum Eumenis amicitia impellebat, ut optima de ipso referret, ab altera parte Antigono detrahere non potuit, quem jam fautorem nactus erat, et certissima quidem via, qua nec amici

1 Plut. vit. Pyrrhi 21. p. 192. V. II.

2 Polyaen. IV. 6. 2. p. 366. *Droys.* l. l. p. 320.

memoriam obfcuraret, nec displiceret regi, fuit, non nifi vera narrare. Haec vero fufficere jam viderentur, quibus Hieronymi fidem in historia vindicaremus, nifi fuperesfet etiam inter antiquos, qui eam in dubium vocaverit, Fl. Jofephum dico, qui Hieronymo, inquit, πρὸς τὴν ἀλήθειαν πάντως τὶ πάθος οὐκ εὐγνώμον ἐπεσκότησεν [1], Gravis accufatio, multoque confidentius prolata, quam Paufaniae judicium. At quo argumento? Quia fcilicet Judaeorum nullam fecerat mentionem in fuo opere, adeo invifus erat Hieronymus Jofepho, qui eum profecto laudasfet, fi ipfius gentis meminisfet. Et quid tam illustre, tam magnum Judaei tum peregerunt? Nemo Hieronymi opus imperfectum et mancum dixerit, propterea quod non omnes illas recenfuerit gentes, quae immenfum Alexandri imperium incolebant, et facile, quicunque Jofephi rationem fcriptores exteros dijudicandi noverit, quam vana fit ejus criminatio, intelliget. Reprehendit praeterea Dionyfius Hieronymum ob jejunam et ingratam fcribendi rationem, qua factum, ut nemo fere ejus operis lectionem ad finem usque fustinuerit [2]. Sed hoc, quod cum plurimis fui aevi historicis commune habuit, nos dijudicare non posfumus, quibus ejus opera perierunt. Caeterum ad ejus fidem nil refert.

---

1 Jofeph. Contr. Apion. I. p. 1050 G.

2 Dionyf. de compofit verb. p. 5. Ed. *Sylb.* p. 9. 23. Ed. *Hudfon.*

Haec praemonenda erant, de fide eorum fcriptorum, ex quibus Eumenis historia est cognoscenda, de Hieronymo prae ceteris, quippe qui omnibus fons exftiterit praecipuus. Et fane effecit haec disquifitio, ut tuto jam ad Eumenis vitam procedere liceat, nec fit, quod ducibus nostris diffidamus. Vixerunt illi, cum omne partium ftudium, quod Hieronymo fortasfe nonnumquam offuit, dudum esfet exftinctum, libero illi animo praeteriti temporis facta recolebant, et illius infistentes vestigiis, qui accuratisfime omnia memoriae prodiderat, fponte a fua historia removebant, quidquid partium ftudium referret. Singuli fuo modo Eumenis historiam tractarunt, fed effecerunt eo ipfo, ut magis ille nobis innotuerit, atque pleniorem ipfius imaginem informare posfimus. Omnibus autem fummam fidem habere licet, cum nec iis deesfet, ex quo ad rerum fcientiam optime proficerent, nec ipfi judicio esfent destituti, quo verum a falfo discernerent, uti ipfa eorum opera abunde testantur.



PARS SECUNDA.

Eumenis vita.

Si quidem de magnis viris, qui antea fuerunt, judicare velimus, omnem eorum perſpicere rationem, et quid apud aequales effecerint intelligere, ab accurata vitae narratione ſine dubio est ordiendum. Cum enim eos ipſi praeſentes cognoscere non posſimus, ex factis rebusque gestis eos dijudicare debemus. Haec nobis reliquerunt, ſui quaſi monumenta, atque nostrum est, ex iis animo ſpeciem quandam informare, ut eos menti repreſentare conemur. Fuerunt, qui ſcriptis ſuis ea ipſi nobis transmiſerunt, unde quam optime ſpecies adumbrari posſit, ſed plurimi tamen ex aliorum demum traditionibus, cognoscuntur, qui facta eorum posteritati mandarunt. Eumeni contigit, ut amicus res ejus accurate deſcriberet. Sed vel ſic tamen, ut in haud paucis ex antiquitate viris, multarum rerum notitia nobis periit, quae cognitae non parum conducerent ad rite Eumenem et cognoscendum et aestimandum. Multa etenim omiſit jam ſine dubio Hieronymus, utpote historiae, qualem ille ſcripſit, minus

apta, multa etiam posteriores neglexerunt, quae minus ſibi notatu digna videbantur. Colligenda igitur ſedulo omnia ejus vitae fragmenta, ut ſic ex iis de ipſo viro deinde probabile quid efficere liceat. Ita multa quidem incognita manebunt, ſed erunt tamen, ni ſpes fallat, quae virum ita nobis oſtendant, ut non temere jam de ipſo judicare poſſimus. Hoc pro viribus igitur agamus, omnia ſic componentes, uti temporis rationem ſequamur.

§ I.

De Eumenis vita et rebus, viventibus Philippo et Alexandro.

Cardia condita fuit a Mileſiis, duce Hermocrate, in Cherſoneſo Thracica [1], ſed de tempore, quo haec colonia miſſa fuerit, atque de ejus hiſtoria nihil nobis eſt traditum, niſi Athenienſes, cum Miltiades Cypſeli filius Cherſoneſum teneret, Cardiam quoque occupaſſe [2]. Cum deinde Perſae has ſibi regiones ſubjicerent, haec urbs ſola iis reſtitit [3], et ſuam libertatem etiam poſtea tuita eſt. Miſſis autem ab Athenienſibus colonis in Cherſoneſum, Cardiani advenas recipere detrectantes,

1 Schol. Demoſth. T. VI. p. 195 C. Ed. *Wolfii.* ubi etiam de nominis origine agitur, vid. etiam Steph. Byzant. voce Καρδία. Plinius IV. 11. Solinus c. 10. p. 21 B. Ptolemaeus Geogr. III. 12 eam vocat Καρδιάπολιν.

2 Herod. VI. 36.

3 Herod. ibid. 33.

quia se sui juris esse perhibebant, ad Philippum Macedoniae regem confugerunt, qui urbem in suam tutelam recepit, et contra Athenienses auxilia misit [1]. Sic sub Macedonum imperio vivebant Cardiani, ita tamen ut suam aliquatenus libertatem retinerent; erat enim ibi Eumenis tempore tyrannus, Hecataeus, quem reges Macedoniae fortasse constituerant. Urbem postea Lysimachus subvertit, et Lysimachiam haud procul ab eo loco, ubi Cardia fuerat, condidit [2]. Natus ibi Eumenes fuit Olymp. CIV anno quarto (361 a. Chr.), eodem, quo Agesilaus mortuus fuit, et anno ante, quam Philippus Macedoniae regnum occupavit. De ipsius parentibus apud antiquos historicos non una fama fuit, Duris enim tradidit, patrem Eumenis adeo pauperem fuisse, ut aurigando per Chersonesum victum quaereret [3], alii eum siticinem fuisse dixerunt [4], alii contra eum domestico summo genere fuisse narrarunt. Habet autem hoc ultimum, quo in primis sese commendet. Non tantum Plutarchus illud probavit, et Nepos praetulit, sed Arrianus etiam patrem ejus non memo-

---

1 Liban. in argum. orat. Dem. de Chersoneso.

2 *Raoul-Rochette* Histoire Critiq. de l'Etabl. des Colon. Gr. V. III. p. 382 et quos citat.

3 Apud Plut. vit. Eum. c. 1. p. 489. hinc Dio Chrysost. Orat. LXIV. V. II. p. 359. 47 *Reisk.*

4 Aelian. XII. 13. p. 794. *Gron. Perizon* ad h. l. putat haec fluxisse ex Macedonum invidia in Eumenem, ut item *van Stayeren* ad Nepot. vit. Eum. c. 1. 3.

rasset Hieronymum [1], si ignotus et ignobilis ille vir fuisset. Praeterea Plutarchus, de Eumene et Hecataeo Cardiae tyranno loquens, ἦν αὐτοῖς, ait, πατρική τις ἐκ πολιτικῶν διαφορῶν ὑποψία πρὸς ἀλλήλους [2], quae intelligi non possunt, nisi aliquam fuisse putes auctoritatem familiae Eumenis apud Cardianos. Quidquid est, liberaliter educatus fuit, et omnibus iis artibus, et doctrinis institutus, quibus apud Graecos puerorum animi informari solebant. Litteris autem et exercitiis in gymnasio ita operam dedit Eumenes, ut aequales suos antecelleret omnes, et sagacitatis et prudentiae non minus quam virtutis indicia jam in puero elucerent. Cum vero Philippum invocaverant contra Athenienses Cardiani, Cardiam ipse venit, et Eumenem ut cognovit, ita adamare coepit, eumque adolescentulum (natus enim tum undeviginti annos erat) secum duxit in Macedoniam, quod etiam, ut nonnulli narrarunt, ob amicitiam et hospitalia jura fecit, quibus cum Eumenis patre erat conjunctus. Quo magis Philippus juvenem cognovit, eo praeclariores ingenii dotes in ipso animadvertit. Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis, ut brevi tempore in intimam perveniret regis fami-

1 Arrian. Indic. XVIII. p. 587. Aliquando cogitavi, an forte Hieronymus Cardianus et Eumenes sanguinis etiam vinculo fuissent conjuncti, cum Eumenis patri idem nomen habuerit, sed quam leve hoc argumentum sit, sentio; num alia conquiri possint, nescio. in Arriani operibus laudandis utor edit. *Raphelii*, Amstelaed. 1757.

2 Plut. l. l. 3. p. 491. 19.

liaritatem. Itaque habuit eum ad manum fcribae loco, quod munus certe tanti momenti erat, ut non nifi ei posfet deferri, cui maximam fiduciam rex haberet. Non tantum enim haud vulgaribus ingenii viribus debuit ille esfe infignis, qui rite eo fungi vellet, fed cognita etiam esfe industria et fide. Hoc munus, Nepos inquit, multo apud Graios honorificentius est, quam apud Romanos, nam apud nos revera, ficut funt, mercenarii fcribae existimantur, at apud illos contrario nemo ad id officium admittitur, nifi honesto loco, et fide et industria cognita, quod necesfe est omnium confiliorum eum esfe participem [1]. Verfabatur igitur Eumenes femper in regis aula, et apud familiam regiam, multosque ibi jam cognovit fine dubio, qui deinde clarum in historia nomen funt adepti, fed praeterea artis politicae cognitionem fibi comparavit, rerumque administrandarum peritiam, qualem nemo alius ex Alexandri ducibus est asfecutus; quae omnia haud parum contulerunt, ut Eumenes per totam vitam diverfam ab iis rationem inierit. Mortuo Philippo, eandem dignitatem apud Alexandrum habuit, eamque fidem et prudentiam in omnibus rebus ostendit, ut nemo aptior muneri videretur, quo factum, ut fummis afficeretur honoribus, τιμῆς, Plutarchus ait, ὥσπερ οἱ μάλιστα φίλοι καὶ συνήθεις ἐτύγχανεν [2]. Ceterum

1 Nepos vit. Eum. 1. 5.

2 Plut. l. l. p. 489. 12. hic Eumenem vocat ἀρχιγραμματέα; vel γραμματέα. quod idem esfe videtur. Ejus dignitatem auctam

pauca nobis tradita ſunt, unde efficias, quam vim ille apud utrumque regem habuerit, quidve in rebus ipſis gerendis effecerit, quod ſane eo magis dolendum, quo plus inde proficere liceret, ad Eumenem bene cognoscendum. Cum deinde Alexander ſuas in Aſia expeditiones ſusciperet, Eumenem quoque ſecum duxit; atque ille, *τὸ γραφεῖον ἔχων, καὶ πινακίδιον*, exercitum ſemper ſequebatur, ut omnia adminiſtraret. Ille etiam illos commentarios ſcripſit, quos, Ephemeridum nomine, de ſuis rebus confici curavit Alexander, atque regi ſemper aderat, ut quotidie ſingula regis facta annotaret. Sic in Indiam cum Alexandro pervenit, qui; cum urbem Sangalam cepisſet, Eumenem alteri equitum alae praefecit, quae hetaerice appellabatur, eumque jusſit urbes Cathaeorum circumjacentes ſubigere, ſed aufugientes incolae irritum hoc reddiderunt conſilium [1]. Tum primum ut videtur, Eumenes, qui ſem-

---

esſe, ita ut, primo ipſe unus e ſcribis, deinde omnibus praeponeretur, ut per ſe non esſet abſurdum, ita hinc certe confici non potest, cum Arrian VII. 4 8. cum, de Alexandri ultimis temporibus loquens, *γραμματεὰ* dicat, et Nepos: *eodem* gradu apud Alexandrum eum fuisſe testetur. c. 1 et 13.

1 Arrian Exp. Alex. V. 24. 9. Curtius IX. 1. 19. *Droys.* Geſchichte Alex. p. 412 ſq. Quid ſibi Plutarchi velint verba, quibus Eumenem dicit τὴν Περδίκκου παραλαβεῖν ἱππαρχίαν, ὅτε Περδίκκας, ἀποθανόντος Ἡφαιστίωνος εἰς τὴν ἐκείνου προῆλθε τάξιν, nescio, cum Arrian VII. 14. 19 praeciſe neget, aliquem esſe Hephaestioni ſuffectum, et idem in excerptis apud Photium p. XVIII. 15, tradat, post Alexandri mortem demum, Perdiccam Hephaestionis chiliarchiam accepisſe.

per in rebus administrandis fuerat verſatus, in aciem etiam deſcendit. Rediit deinde cum Alexandro Suſas, atque festis interfuit, maximis illis et ſplendidisſimis, quibus ille ſuum cum Statira matrimonium, atque amicorum ſimul matrimonia celebravit. Quamvis autem Eumenes non esſet natione Macedo, ſed peregrinus, ſummo tamen honore tum est habitus, ſiquidem Alexander ei Artonin ſive Barſinen uxorem dedit, quae Artabari, ſummi inter Perſas viri, filia fuit, cujusque ſororem eadem opportunitate Ptolemaeus Lagi filius duxerat [1]. Fuit etiam Eumenes inter eos, quos Trierarchos conſtituerat Alexander, cum magnam illam claſſem compararet ad Hydaspis ripas [2], quod tamen magis honorificum fuisſe videtur, quam jucundum munus, Eumeni in primis, qui comparatas opes ſervare, quam regi impendere malebat. Quicunque enim ab Alexandro triremi fuit praepoſitus, illam ipſe ſuis ſumptibus comparare, et necesſariis rebus inſtruere debuit. Sic ſaltem nonnulli admodum probabiliter putant, qui non ſine ratione huc illud referunt, quod Plutarchus tradit, Alexandrum ab Eumene aliquando trecenta talenta petiisſe, cum aerarium esſet exhauſtum, et naves conſtruere vellet, illum vero non niſi centum dedisſe, haec vix a ſe collecta esſe affirmantem: quo iratus rex tentorium ejus incendi jusſit, ut ita cum ſuas res efferret, ipſa

1 Arrian VII. 4. 8. *Droyſen* l. l. p. 497.

2 Arrian Indic. XVIII. p. 587. *Droys.* l. l. p. 420.

re mendacii convinceretur. Cum vero flamma citius omnia vastaret, Alexandrum poenituit, nam multa simul scripta perierant, et, quamvis ultra mille talentorum invenirentur, omnia, quae Eumenes perdiderat, ei jussit restitui [1]. At vero honores, quibus ab Alexandro Eumenes afficiebatur, eum Macedonibus invisum reddiderunt, quem sibi anteponi indigne ferebant, quia ex Graeca civitate esset orlundus, quamvis ipso se carere non posse intelligerent, cum omnes vinceret cura, vigilantia, patientia, calliditate et celeritate ingenii. Omnium vero maxime Hephaestion Eumenem odit, atque haud raro illi inter sese lites habebant. Sic accidit aliquando, ut Hephaestion domum, quam Eumenis servi praeoccupaverant, Euio poetae daret. Iratus hic una cum Mentore ad Alexandrum venit, et clamavit, jam, armis abjectis, praestare tibiis canere et tragoedum agere, ita ut Alexander commotus Hephaestionem etiam objurgaret, deinde vero Eumeni etiam iratus fuit, quippe qui majore, quam par erat, dicendi licentia apud ipsum usus esset [1]. Etiam de dono quodam litigarunt aliquando, quod Hephaestioni dederat Alexander, quodque tam aegre tulit Eumenes, ut multa sibi convicia uterque ingereret, multaque proferret, quae tantis viris essent indigna; cum vero Eumeni item rex donum dedisset, vix tandem adducti sunt, ut concilia-

---

1 Plut. l. l. c. 2. p. 490. 10. cf. *Droys.* l. l. p. 426. 555.

2 Plut. l. l. c. 2. p. 490. 1.

rentur [1]. Cum postea mortuus esset Hephaestion summoque luctu eum rex prosequeretur, illarum etiam litium meminit, quas ille cum Eumene exercuerat, et omnibus, qui, dum vivebat, Hephaestioni invisi fuerant, infestus, quasi illius morte gavisi essent, Eumenem in primis in suspicione habuit, saepiusque ei lites illas exprobravit. Prudenter vero ille et callide, cum hoc regi gratissimum esse comperisset, si quis mortui memoriam pie colere videretur, nullis sumptibus pepercit, sed pecuniam alacriter contulit, ut ejus sepulcrum ornaretur [2]. Quamvis hae narrationes parum conferant ad Eumenis historiam cognoscendam, summi tamen sunt momenti, ubi Eumenis indolem et mores cognoscere velimus, et simul ostendunt, quanti eum Alexander fecerit, qui nunquam tulisset lites Eumenis cum Hephaestione, quem tantopere adamabat, nisi ipsi fuisset persuasum, nullum Eumene aptiorem esse ad omnia administranda, dum bellis ipse esset intentus. Ad mortem Alexandri usque ille suum munus retinuit, nec copiis praefuisse bellaque gessisse videtur, nisi per breve tantum tempus in India: quietam enim in regis aula vitam belli periculis praetulit. At mors Alexandri [3], postquam Eumenes per tredecim annos illi apparuisset, omnium

1 Plut. l. l. p. 490, 22. Arrian. VII. 13. 1. *Droys.* l. l. p. 556.

2 Plut. l. l. p. 490, 25. Arrian. VII. 14. 17.

3 Nonnulli ex Aelian. Var. hist. III. 23. efficiunt, Alexandrum apud Eumenem meracius bibisse, et inde mortuum esse, sed falso, vid. *Perizon* ad h. l. Arrian. VII. 25. *Droys.* l. l. p. 582.

rerum faciem mutavit, et, qui fere apud regem latre-rat, bella deinde gerere debuit, atque in aciem de-fcendere contra eos Alexandri duces, qui totam vitam in bellis tranfegerant.

§ II.

De rebus ab Eumene gestis inde ab Alexandri morte usque ad caedem Perdiccae.

Mortuus erat Babylone Alexander menfe Junio anni 323. a. Chr., nemo autem aderat, qui illi fuc-cedere posfet. Reliquit quidem filium, Herculem, qui ex Barfine natus erat, fed illegitimum ex matre barbara Macedones regem ferre non potuerunt. Prae-gnans erat Roxane, fed incertum, quid nasceretur, et infans tali imperio praeesfe non potuit. Itaque res eo redire debuit, ut, qui pueri tutor confti-tueretur, revera omnem auctoritatem haberet. Arrhi-daeus vero, Philippi filius naturalis, mentis non fatis compos videbatur, qui tantum onus fubiret. Quae cum duces intellexisfent, quos fecum Alexander habue-rat, quique fibi aliquam auctoritatem et magni imperii portionem acquirere avebant, hanc optimam viam rati funt, qua eo, quo tendebant, pervenire posfent, fi nullus rex ftatim crearetur, fed fibi auctoritatem om-nem fervarent. Conftituerunt igitur regnum filio ferva-re, quem ex Roxane nasciturum fperabant, et Perdic-cam interea, cui moriens fuum annulum Alexander

dedisset, regni curatorem nominarunt, qui futuri regis nomine omnia administraret. Perdiccas ille bellica in primis virtute fuit insignis, et semper Philippo et Alexandro adfuerat, a quibus summis honoribus erat adfectus. Nobili genere natus dominandique cupidine flagrans, jam regiae domus tutelam suscipiens, omnem sibi delatam dignitatem esse, intellexit, eamque acriter vindicare sibi proposuit [1]. At vero haec omnia vix decreta erant, cum Phalanx illa, quae Macedonibus veteranis constabat, duce Meleagro, regem Arrhidaeum proclamaret, atque Perdiccam adeo cogeret, Babylonem relinquerere. Huic nobiles equites sese adjunxerunt aliique, ut jam res ad bellum venisset, nisi nonnulli inter se partes conciliassent. Constituerunt igitur, ut Arrhidaeus quidem rex esset, nomenque gereret Philippi, sed servaretur tamen portio regni filio, ex Roxane nascituro [2], Perdiccas interea Chiliarchus, ut antea Hephaestion, Meleager vero ejus Hyparchus esset [3]. Sic factum, ut ipse omnem potestatem retineret Perdiccas, cujus revera munus ἦν ἐπιτροπὴ τῆς ὅλης βασιλείας [4]. Ejus vero auctoritas multo major facta est brevi post, cum, lus-

1 *Droysen* Gesch. des Hellenismus p. 33.

2 Justin. XIII. 4. Arrian. Excerpt. p. XVII. 20. p. XX. 5. minus accurate *Droysen* l. l.: „der Auszug der Arrian erwähnt dieser Klausel nicht" quum, vitio excerptoris, potius alieno loco sit posita.

3 Quale hoc munus fuerit nescio, forte administrationem spectabat rerum; quae ad exercitum pertinebant cf. Just. XIII. 4.

4 Arrian. p. XVIII. 19. Diodor. XVIII. 2.

trationis opportunitate, multos non tantum ex Phalange curavisſet interficiendos, quos ſibi infestos cognovisſet, ſed ipſum etiam Meleagrum ſustulisſet; rex enim Arrhidaeus, regis titulo contentus, illi omnia gerenda permiſit [1]. Interea quid Eumenes egit? Equitibus, Plutarchus inquit, *τῇ μὲν γνώμῃ προσένειμεν ἑαυτὸν ὁ Εὐμένης, τῷ δὲ λόγῳ κοινός τις ἦν πρὸς ἀμφοτέρους καὶ ἰδιώτης, ὡς οὐδὲν αὐτῷ προσῆκον, ξένῳ ὄντι, πολυπραγμονεῖν ἐν ταῖς Μακεδόνων διαφοραῖς* [2]. Nullis hic laboribus pepercit, cum equites Babylonem reliquerant, ut partes inter ſe conciliaret, nec dubito, quin ipſe legationibus interfuerit, quas utrimque misſas esſe tradit Arrianus; cui quidem rei erat aptisſimus, quippe qui ſagacitate politica excelleret, et ab omnium partium ſtudio alienus videretur. Deinde ille magis magisque ſeſe Perdiccae adjunxit, qui viri praeſtantiam dudum cognoverat, atque illum omni modo ſibi conjungere ſtuduit. Cum vero Perdiccas alios, quibus inviſum ſe esſe bene ſenſerat, ſeparare et dimittere conaretur, ſingulis aliquam tribuens provinciam, quam administrarent [3], Eumeni, ne praetermisſus videretur, Cappadociam, Paphlagoniam et regiones ad Pontum Euxinum usque ad Trape-

1 *Droyſen* l. l. p. 21—35. *Mannert* l. l. p. 9—12 haec omnia uberius exponunt.

2 Plut. l. l. c. 3. p, 491. 1. hinc Arrian. p. XVIII. 6. Eumenem ſtatim inter equitum ductores recenſet.

3 Arrian. p. XVIII. 28. Diod. XVIII. 3. Dexippus apud Photium p. 115. ed. *Hoesch.* Curtius X. 10. Just. XIII. 4. *Mannert* l. l. p. 14 ſqq. *Droys* l. l. p. 39—51.

zuntem, asſignavit, quae tamen maximam partem prius devincendae erant, ſuis quippe regibus obtemperantes. Effecit ita ſimul Perdiccas, ut Antigonus, cui Phrygia obtigerat, et quem maxima quaeque mente volvere jam ſatis apparuerat, aemulum prope ſe haberet poſitum, qui illum obſervaret. Praeterea Perdiccas Antigonum jusſit, Eumenem in provinciam deducere, eamque ipſi ſubjicere, qua in re Leonnatus, qui Phrygiae partibus ad Hellespontum ſitis erat praepoſitus, illi auxilium praeſtaret. Antigonus vero, *μετέωρος ὢν ἤδη καὶ περιφρονῶν ἁπάντων* [1], haec mandata exſequi detrectavit, quia bene intelligebat ſic futurum esſe, ut opes copiasque impenderet ad rem, cujus ipſe nullam perciperet utilitatem. Leonnatus contra Eumenem ſecum duxit, et jam illum in provincia conſtituere decreverat, cum Hecataeus ad eum accesſit, Cardiae tyrannus, eum hortatus, ut in Europam tranſiret, atque Antipatro ſuppetias ferret, quem in Lamia obſesſum Graeci tenebant. Simul ille Cleopatrae Alexandri ſororis et viduae regis Epiri, litteras attulit, quibus Leonnatum incitabat, ut in Europam veniret, ipſam duceret, et regnum ita ſibi vindicaret. Lubenter hanc opportunitatem arripuit Leonnatus, nec quidquam jam antiquius habuit, quam ut Eumeni perſuaderet, ut ſecum in Europam tranſiret. Primum quidem Eumenem cum Hecataeo conciliare ſtuduit, inter quos dudum ſuſpicio

1 Plut. l. l. p. 491. 13.

quaedam et disfenfio fuerat, quum faepius ab Alexandro hic petiisfet, ut Cardiae libertatem redderet. Dicente autem illo, fe Antipatrum metuere, cui fe invifum bene fciebat, et qui fic optime Hecataeo gratificaretur, fi ipfum interfecisfet, litteras Leonnatus protulit, omnemque rem est profesfus. *Λόγος γὰρ ἦν ἡ βοήθεια καὶ πρόφασις, ἐγνώκει δὲ διαβὰς εὐθὺς ἀντιποιεῖσθαι Μακεδονίας* [1]. Eumenes probe intelligens, nil aliud moliri Leonnatum, quam ut totum regnum fubverteret, cum ipfe regiae domus jura defendere conftituisfet, jam multo minus illius partes voluit amplecti, fed clam noctu ex ejus praefidiis aufugit, cum interficere eum Leonnatus conatus fuisfet [2], et cum equitibus trecentis et ducentis peditibus ad Perdiccam fe contulit. Is, omnium certior factus, Eumenis fidem tanti fecit, ut confiliorum omnium eum participem redderet [3]. Leonnatus vero magnis excidit aufis, et in praelio brevi post cecidit [4].

Perdiccas opportunitatem dimittere noluit, quam illi res Eumenis obtulerant, ut fe cum exercitu in Afiam minorem conferret, ubi Antigonus ejus jusfa fuperbe fpreverat. Quocirca initio anni 322 ipfe Eumenem in

---

1 Plut. l. l. p. 491. 28. *Droys* l. l. p. 101 fq. *Mannert* l.l. p. 20.

2 Nepos vit. Eum. c. 2. 4. unde fatis *Droyfii* l. l. p. 103, judicium de Eumenis fuga refutatur, qui hanc fuisfe dicit: „Mindestens ein Verrath gegen das offene Vertrauen Leonnats."

3 Plut. l. l. p. 492. 1.

4 Droys l. l. p. 80.

provinciam deducere, atque expeditionem contra Ariarathem fuscipere decrevit, qui Cappadociae praeerat[1]; qui tamen, rem praevidens, magnas fibi copias ex popularibus, ceterisque gentibus comparaverat, et cum triginta millibus peditum, equitumque quindecim millibus Perdiccae copias exfpectavit. Praelio commisfo, magnam victoriam reportavit, ita ut, plurimis interfectis, ipfe etiam Ariarathes captivus duceretur; ceteris vero incolumitate concesfa, regem, quamvis octoginta et duos annos natum, cum propinquis omnibus in crucem egit[2], regionemque deinde Eumenis curae commifit[3]. Is igitur omnia ftatim ordinare festinavit, et locis munitis praefidia imponens, urbes amicis commifit adminiftrandas, quosque voluit, judices et curatores regioni praepofuit, qui omnium curam gererent, dum ipfe apud Perdiccam maneret. Non enim nifi aegre ille Eumenem a fe dimifit, et eum retinere eo magis voluit, cum duas Pifidiae urbes aggrederetur, et moras in Afia minori nectere ftuderet[4]. His perfectis cum

1 De regibus his Cappadociae vide *Beck*, Anleitung zur Kentnisf der allgem. Welt-, und Völker-Gefchichte II. Th. p. 16-17 et Diodor. Eclog. ex libro XXXI. p. 517. *Schlosfer* Univerfalhist. Ueberf. der Gefch. I. III. p. 390 fq.

2 Diodor. XVIII. 16 ubi vid. *Wesfel.* Lucian. de Longaevis 13. filius tamen Ariarathi in Armeniam aufugit. Diodor. Ecl. l. l.

3 Incertum, an Eumenes tum etiam Paphlagoniam acceperit, fatis tamen hoc est probabile, vid. *Droys* l. l. p. 104. equites Paphlagones enim Eumeni deinde adfuerunt, vid. Arrian. p. XXV. 12. licet contrarium efficere ex Just. XIII. 6. posfis.

4 Diodor. XVIII. 22.

deinde ad Ciliciam pervenisſet Perdiccas, Eumenem tandem in provinciam demiſit, quia ibi quoque bono et fido custode nunc opus esſe intellexit, qui Neoptolemum Armeniae praefectum obſervaret. Ille enim nil parvi mente volvere videbatur, ὄγκῳ καὶ φρονήματι κενῷ διεφθαρμένος, eoque magis metuendus, quo minus bellum cum Antigono evitandum esſe apparuit. Is enim Perdiccae jusſa ſpreverat, et ſatis ostenderat, hoc ſe habere propoſitum, ut liberum regnum ſibi acquireret. Perdiccas eum propterea in judicium vocavit, ut ſuam agendi rationem defenderet, at ille, hujus copiis ſe imparem etiamnunc ſentiens, in Europam aufugit [1]. Interea Eumenes, cum in provinciam venisſet, non tantum Neoptolemum retinuit, eumque, ut ait Plutarchus, ταῖς ὁμιλίαις κατείχεν, ſed maximo etiam ſtudio ſibi exercitum comparavit, quo Phalangem ſuperbam et ferocem in officio continere posſet, et paratus esſet, ſi bellum aliquando oriretur. Iis igitur ex regionis incolis, qui equitandi artis erant periti, omnia tributa remiſit, ſi nomen ad militiam profiterentur, atque quovis modo eos excitare et exercere ſtuduit. Quibus maxime fidebat, ipſe equos dedit, omnes vero φιλοτιμίαις τε καὶ δωρεαῖς τὰ φρονήματα παροξύνων, καὶ τὰ σώματα κινήσεσι καὶ μελεταῖς διαπονῶν, ita ut brevi tempore ad ſex millia et trecentos equites colligeret [2].

---

1 Arrian. p. XXII. 21. Diod. l. l. 23.
2 Plutarch. l. l. c. 4. p. 492.

Dum his intentus erat Eumenes, filia Antipatri Nicaea, quam Perdiccas sibi uxorem petierat, in Asiam venit, ut jam ei nuberet. Sic enim Perdiccas speraverat fore, ut Antipatrum, qui Europae praeerat, arctius secum conjungeret. Nunc vero simul litterae Olympiadis allatae sunt, quibus illa Cleopatram filiam ipsi despondit, quo factum, ut dubitaret Perdiccas Nicaeamne remitteret, an sperneret Cleopatram. Consilio igitur convocato, Eumenes suasit, ut Cleopatram duceret, verum magis ipsi fratris Alcetae consilium placuit, ut Nicaeam praeferret, quam postea, si Antipatri amicitia opus amplius non esset, facile repudiare posset [1]. Quae tamen res non diu latuit. Nam cum Antigonus in Europam venisset, Antipater et Craterus, qui ibi rebus praeerant, eum bene exceperunt, et rerum certiores facti, ὅτι τὴν Κλεοπάτραν γαμήσας, εὐθὺς ἥξει μετὰ τῆς δυνάμεως εἰς Μακεδονίαν, ὡς βασιλεὺς, καὶ τὴν ἡγεμονίαν αὐτῶν προαιρήσεται [2], ipsi sese cum Antigono conjunxerunt, bellum cum Perdicca gesturi. Antipatro igitur Europae cura committitur, Asiae Cratero, Antigonus, ut videtur, classi praeficitur, eumque ad Ptolemaeum Aegypti praefectum mittunt, ut hic etiam sese cum ipsis conjungat. Huic enim Perdiccas infensus erat, quia Alexandri cadaver, quod in Macedonia sepelien-

1 Arrian p. XXII. 25. Diod. XVIII. 23.
2 Diod. l. l. 25.

dum fuisset, sibi vindicaverat[1], eumque propterea provincia expellere decreverat. Cum autem Alexander Lydiae praefectus, Antipatro et Cratero significasset, Perdiccam, Nicaeâ repudiatâ, Eumenem Sardis misisse, ut Cleopatrae dona afferret, eique nuntiaret, nil amplius nuptiis obstare[2], illi bellum non diutius differre, sed jam cum copiis in Asiam transire statuerunt.

Interea Perdiccas, consilio convocato, deliberavit, ipse in Europam prius transiret, an vero Ptolemaeum aggrederetur. Cum posterius probatum esset, Eumenem in Asia minore relinquendum censuit, ut illis, qui ex Europa venirent, resisteret. Nemini enim majorem, quam huic, fidem habuit, eique omnem in Asia minori auctoritatem permisit. Nam praeter provincias, quas acceperat, Caria, Lycia et Phrygia adjectae sunt[3], eumque ἀπέδειξε τῶν ἐν Ἀρμενίᾳ καὶ Καππαδοκίᾳ δυνάμεων αὐτοκράτορα στρατηγόν, fratremque Alcetam, et Neoptolemum ejus imperio obsequi jussit, ipsi vero permisit τοῖς πράγμασι χρῆσθαι, ὅπως αὐτος ἔγνωκε[4]. Praeterea Eumenes copiarum partem secum habuit, nec quicquam praetermisit, quo copias augeret,

---

1 Diod. l. l. p. 28 ubi mirum *Wesseling* non adtendisse ad Arrian. p. XXIII sq. 31—7. Strabon. XVII. 1. p. 427. Ed. *Teuchn.* cf. *Droys* l. l. p. 113.

2 Arrian. p. XXIV. 8.

3 Justin. XXIII. 6.

4 Plutarch. l. l. c. 5. p. 492. Diodor. XVIII. 29. *Droys* l. l. p. 115.

fuosque equites, quos ex provincia contraxerat, cum reliquis conjunxit. Cum autem adventare Craterum et Antipatrum ad Hellespontum intellexisfet, et Macedones, quos Alcetas ducebat, bellum contra illos gerere detrectarent, ab Hellesponto, quo fe contulerat, in Cappadociam est reverfus. Copiae enim, quas ipfe ex provincia collegerat, neque fat magnae neque firmae erant, quod inexercitatae et non multo ante erant contractae[1]. Neoptolemus praeterea opportunitatem tantum defectionis exfpectabat. Craterus igitur et Antipater, praefidiis, quae in urbibus relicta erant, deceptis, copias fuas in Afiam transmiferunt[2], ubi omnia iis profpere procedere videbantur, Neoptolemus enim legatos ad eos mifit, ut cum iis focietatem iniret idemque promifit, fe Eumeni infidias esfe ftructurum[3]. Verum haec perfidia Eumenem non latuit, qui eum ftatim ad fe venire jusfit, atque detrectantem fine mora aggredi conftituit. Is, Macedonicis copiis fidens, quas fecum habebat, cum Eumene est congresfus, atque tum primum Eumenes prudentiae fuae in comparando

---

1 Nepos l. l. c. 3. *Droy:* l. l. p. 117. Qui bene monet, fatis patere, non ad Hellespontum, fed in Cappadocia hoc bellum ab Eumene esfe gestum, cf. Diod. XVIII. 37.

2 Arrian. p. XXIV. 9.

3 Diodor. XVIII. 29. Plut. l. l. Arrian. p. XXIV. 22, qui dicit legatos ab Antipatro et Cratero misfos Neoptolemo, fed excerptor videtur male confudisfe hanc legationem misfam a Neoptolemo cum altera misfa ab Antipatro Eumeni, ut eum ad fuas partes pelliceret.

equitatu fructum cepit. Pedestres etenim ejus copiae jam victae videbantur, cum ille, immisfis equitibus, aciem Neoptolemi non tantum fugaret, fed omnia ejus impedimenta etiam diriperet, ita ut, pluribus interfectis, ipfe vix cum trecentis equitibus aufugeret. Phalangem etiam, quae pedites fugientes infequuta esfet, Eumenes cepit, et fuis copiis adjunxit, ita ut magno Macedonum numero fuum exercitum augeret[1]. Craterus interim et Antipater legatos ad Eumenem miferunt, qui ei majorem, quam tenebat, potestatem promitterent, fi Antipatro ex inimico amicus fieri vellet, et antiquam Crateri amicitiam non defereret. Ille vero noluit fefe cum iis conjungere, qui fibi tantum auctoritatem quaerebant, nec illum deferere, qui in ipfo fummam fidem pofuisfet. Sic igitur, ut Plutarchus narrat, iis respondit: Ἀντιπάτρῳ μὲν οὐκ ἂν, ἔφη, παλαιὸς ὢν ἐχθρὸς νῦν γενέσθαι φίλος, ὅτε αὐτὸν ὁρᾷ τοῖς φίλοις ὡς ἐχθροῖς χρώμενον, Κρατερὸν δὲ Περδίκκᾳ διαλλάττειν ἕτοιμος εἶναι, καὶ συνάγειν ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ δικαίοις, ἄρχοντος δὲ πλεονεξίας, τῷ ἀδικουμένῳ βοηθήσειν, μέχρις ἂν ἐμπνέῃ, καὶ μᾶλλον τὸ σῶμα καὶ τὸν βίον, ἢ τὴν πίστιν προήσεσθαι[2].

Quum nulla fuperesfet fpes, fore ut Eumenem ad fuas partes pellicerent, duces deliberarunt, quid agendum esfet. Neoptolemus autem, qui nuper ad eos au-

---

1 Diodor l. l. Plut. l. l.

2 Plut. l. l. c. 5. p. 493.

fugerat, omni modo eos excitare ſtuduit, ut ipſi auxilium ferrent, facilemque promiſit victoriam, cum Macedones affirmaret, ſi vel Crateri vocem audivisſent, ejusque vidisſent galeam, ultro cum armis ad eum tranſituros, quem omnes vehementer deſiderarent: praeterea Eumenem dixit, laetum ex victoria et ſecurum facile posſe ſuperari. His effecit, ut decretum ſit, Craterus cum exercitus parte et Neoptolemo, contra Eumenem iret, Antipater interea ad Ciliciam progrederetur. Craterus vero, rem maturandam ratus, quo magis ex inopinato Eumeni ſuperveniret, ſtatim continuis itineribus in Cappadociam tendit [1]. Quod vero exſpectaverat, multo illud ſecus fuit. Eumenes enim, ut hostes appropinquare ſenſit, nil reliquum fecit, quo ſe ab iis tueretur. Primum quidem bene vidit, fore ut Macedones milites pugnam prorſus detrectarent, ſi cognovisſent ſe contra Craterum duci, cujus nomen omnibus carum erat, quippe qui ſaepius antiquos Macedonum mores apud Alexandrum vindicasſet, ſi ille Perſicis deliciis et mollitie delectaretur. Ut igitur ſuos officio contineret, militibus perſuaſit, Neoptolemum, equitibus ex Paphlagonia et Cappadocia collectis, una cum Pigre adventare: de Cratero vero nil quicquam locutus est. Nam cum ſaepius rem cum praecipuis prae-

---

1 Plut. l. l. c. 6. p. 493. Diod. XVIII. 29. Just. XIII. 8. Arrian. p. XXIV. 32.

fectis vellet communicare, femper tamen metus, ne res ad milites deferretur, eum retinuit, ita ut tandem in fe omne periculum, fi res male cesfisfet, recipere conftituerit [1]. Deviis igitur itineribus milites duxit, in quibus vera audire non posfent, atque undique collegit copias, praefertim equestres, in quibus maximam fpem pofitam habebat, ita ut viginti millia peditum et quinque equitum millia haberet, cum Craterus totidem quidem pedites, eosque longe meliores, fed duo tantum equitum millia duceret [2]. Quum fomnio, quod noctu fe habuisfe narrabat [3], Eumenes fuorum animos confirmavisfet, fuos procedere jusfit aciemque inftruxit, et haud longe jam ab hostibus aberant, quum collis tantum interesfet, nec quisquam tamen de Cratero aliquid fuspicabatur. Craterus autem Neoptolemi dictis fidem habens, victoriam fibi facilem futuram putabat, et milites fuos alloquutus, victoriam iis et magnam praedam promifit, omnia fe hostium inpedimenta iis concesfurum pollicitus. Inftruxit deinde aciem, et pedites, pro majore parte Macedones celebratae ftrenuitatis viros, in medio collocavit, equites in utroque cornu pofuit, finistro praefecit Neoptolemum, dextrum ipfe tenuit. Eumenes vero Cratero, non Macedones, fed duas Hipparchias equitum Afiaticorum oppofuit,

1 Plut. l. l. c. 6. p. 494. de Curiofitate 9. V. X. p. 108. ed. *Hutten.* Arrian. p. XXV. 2. Nepos l. l. 3. 4.

2 Diodor. XVIII. 30.

3 Plut. l. l.

ducibus Pharnabazo et Phoenice, ipſe Neoptolemum cum optimis trecentis equitibus, aggredi voluit, medium tenuerunt pedites, quos equites longe anteibant [1]. Metuebat enim Eumenes, ne pedites vocem Crateri audirent, aut ille legatos ad ipſos mitteret, atque ſic Macedones, qui haud pauci inter eos erant, ipſum relinquerent. Quapropter equites jusſit, ſtatim ac hostes vidisſent, in eos irruere, et omnem iis opportunitatem legati mittendi aut colloquendi praeripere. Hisce ita ordinatis, ſuos progredi jusſit, atque vix ſuperaverant collem equites, cum Craterus, ſeſe a Neoptolemo deceptum ſentiens, hunc graviter increparet, atque ſuos cohortatus, eos item in aciem educeret. Ipſe cum equitibus praegresſus, Eumenis equites adortus est, ita ut acre certamen equestre fuerit commisſum, et, lancibus fractis, mox gladio equites pugnarent. Inter omnes autem Crateri virtus eminuit, qui pristinae virtutis non immemor, inter primos ſemper verſabatur, et multos ſua manu interfecit, atque invadentes repulit. Tandem vero ille a Thrace vulneratus, et equo delapſus, a reliquis est proculcatus, ſed Gorgias quidam eum agnovit, eique, male jam affecto et cum morte luctanti, custodiam appoſuit. Cum autem dux cecidisſet, Eumenis equites, circumfuſa undique turba, magnam ſtragem ediderunt, atque hostes coegerunt ad

1 Diod. XVIII. 30. Plut. l. l. c. 7. p. 494 ſq.

pedestre agmen ſeſe recipere. In altero cornu pugna haud minus gravis coorta fuit, nam cum equites concurrerent, duces ipſi quam primum ſe agnoverunt, ſingulare certamen Eumenem inter et Neoptolemum obtinuit. Inveterato enim odio, Plutarchus ait, et ira in ſe invicem ducebantur. Maxima igitur virium intentione, frenis equorum remisſis, irruentes, galeam et thoracem, manibus comprehenſa, diripuerunt, atque, cum equi ſubterſugerent, una in terram delapſi ſunt. Ibi Neoptolemo prius asſurgenti Eumenes poplitem fregit, atque ipſe ſurrexit. Neoptolemus nihilominus altero genu innixus, ſeſe defendit, ſed lethale vulnus Eumeni inferre non potuit, qui ipſum tandem juxta cervicem ita gladio percusſit, ut moribundus in humum devolveretur. Cum vero Eumenes ei convicium faceret, eumque ſpoliare vellet, gladio, quem manu tenebat, hunc ſauciavit, ſed, deficientibus viribus, plus terroris quam periculi illud vulnus intulit. Interea equites inter ſe congresſi, acriter pugnabant, et anceps initio pugna videbatur, ſed, cum Neoptolemus cecidisſet, et alterum cornu esſet fugatum, etiam ad pedites ſe receperunt. Eumenes, quamvis vulneratus, ſtatim ſeſe ad alterum cornu contulit, ibi ratus etiamnunc pugnam fervere, cum tamen ab hac etiam parte fuſos hostes esſe comperisſet, receptui ſignum dedit, et ſuos a perſequutione revocavit. Ad Craterum vero accedens, adhuc ſpirantem, ἐπεδάκρυσε καὶ τὴν δεξιὰν ἐνέβαλε,

καὶ πολλὰ μὲν ἐλοιδόρησε τὸν Νεοπτόλεμον, πολλὰ δ' ἐκεῖνον μὲν ᾤκτίσατο τῆς τύχης, αὑτὸν δὲ τῆς ἀνάγκης, δι' ἣν ἀνδρὶ φίλῳ καὶ συνήθει, ταῦτα πεισόμενος ἢ δράσων, συνηνέχθη. Et cum frustra illum recreare ſtuduisſet, pro hominis dignitate proque pristina amicitia amplo funere extulit, osſaque in Macedoniam uxori ejus ac liberis remiſit [1]. Quamvis autem Phalangem non esſet aggresſus, ea tamen, quod in ea loca esſet deducta, ut invito Eumene elabi non posſet, pacem cum eo fecit [2]. Atque ille, ſperans fore, ut militum animos lenitate ſibi devinciret, omnibus liberam reliquit optionem, discedere mallent, an ſe cum ipſius copiis conjungere. Data igitur per jusjurandum fide, in pagos eos dimiſit, ut frumentum colligerent, illi vero, reſumptis viribus, fidem fefellerunt, et noctu redierunt ad Antipatri exercitum: quae res illi animum reddidit, metumque minuit, quem ex Eumenis victoria conceperat [3]. Hic primum Phalangem perſequi conſtituerat, ſed, cum ipſe vulneratus esſet, atque copiae defatigatae, notaque virtus hostium, rem experiri noluit, et conſilium misſum fecit [4].

Hanc victoriam Eumenes reportaverat decem diebus post priorem illam de Neoptolemo, atque res Perdiccae ſuperiores fore, jam facile exſpectari poterat, cum An-

1 Nepos l. l. c. 4. 4.
2 Plutarch. c. 7. Diodor. XVIII. 31 ſq. Nepos c. 4.
3 Arrian. p. XXV. 17. Diod. l. l. 32. Nep. 4. 3.
4 Diodor. l. l.

tipater in Afia inclufus videretur, et omnia Eumeni paterent. Veruntamen fecus evenit, nam Perdiccas, qui prioris victoriae nuntium acceperat, cum Aegyptum ingrederetur, alterius numquam certior factus est, biduum enim erat, ex quo a fuis interfectus esfet, cum fama ad exercitum perveniret, Eumenem fugasfe copias, et ipfum Craterum cecidisfe. Et certe vix potuit jam gravius quid exercitui annuntiari, qui Craterum omnium maxime defideraverat, et prodiderat non tantum Perdiccam, fed etiam omnes, qui illi favisfent, maximo odio perfequebatur. Non mirum igitur hos, re audita, Eumenem, fimul cum aliis Perdiccae cognatis et amicis, capitis damnasfe, quippe qui, advena ipfe et peregrinus, Macedonum fortisfimum interfecisfet. Quae quidem res effecit, ut Macedones quoque, qui in Eumenis exercitu adesfent, ipfi fubirascerentur [1]. Ita haec victoria, quamvis fummam gloriam eâ meruerit Eumenes, magis tamen illi nocuit, quam profuit, nam ultro intellexit, fe magis etiam quam antea, invifum Macedonibus esfe factum, atque fibi nil fuperesfe, nifi ut cum infestisfimis fefe conciliaret, quod difficillimum fore praevidebat, aut grave et periculofum cum omnibus bellum fufciperet, cujus quidem exitus vix dubius esfe posfet. Hac tamen ille percusfus plaga, non fuccubuit, neque eo fecius bellum adminiftravit, ftatim enim fefe ad

1 Plut. l. l. c. 8.

occidentales Afiae minoris partes contulit, ut ibi omnia faceret, quae ufui esfe posfent, fi alii duces ipfum aggrederentur [1], qui in Syriam ad urbem Trisparadifum fe contulerant, ut denuo de regno administrando, ne dicam dividendo, agerent.

§ II.

Res gestae Eumenis in Afia minore post Perdiccae caedem.

Postquam duces ad urbem Trisparadifum convenerant, Antipater rerum fummam adeptus, iterum provincias inter duces divifit, et, remotis omnibus, qui Perdiccae favisfent, Eumenis provinciam Cappadociam Nicanori dedit [2]. Antigonus vero fuam non tantum retinuit provinciam, fed etiam exercitus, qui in Afia aderat, fummus dux est creatus, ipfique mandatum, ut bellum cum Eumene gereret [3]. Eumenes continuo ea, cum cognovisfet, cum militibus fuis communicavit, ne fama aut rem in majus extolleret, aut militum animos rerum novitate terreret, fimul, ut quomodo erga fe animati esfent, cognosceret. Unicuique tamen cui haec terrori esfent, discedendi potestatem dedit. Qua re adeo cunctos in ftudium partium fuarum

1 *Droys* l. l. p. 122—126. *Mann.* l. l. p. 55—61.
2 Diod. XVIII. 39.
3 Arrian p. XXIX. 27. Diod. l. l.

induxit, ut ultro illum omnes hortarentur, rescissuros se ferro decreta Macedonum affirmantes [1]. Tum vero occidentem versus est progressus, atque omnia collegit, quibus ad bellum indigeret. Primum equis suos instruxit ex regiis armentis, quae ad montem Idam pascerentur, atque civitatibus pecunias imperavit, et recusantes dare hostiliter diripuit [2], deinde ad Lydiam se contulit, et ad Sardes versatus est, quia haec loca campestria equitatui in primis essent idonea, quo Eumenes maxime valebat. Praeterea Sardibus aderat Cleopatra, quam Perdiccas ibi reliquerat, cum contra Aegyptum progrederetur, cui Eumenes suas copias ostendere cupiebat: at illa, metuens, ne forte apud vulgus Macedonum invisa fieret, quasi belli ipsis causa fuisset, Eumeni persuasit, ut Sardibûs discederet [3], quapropter ille in Phrygiam superiorem se contulit, ut ibi hiemem Celaenis transigeret [3]. Cum milites ibi stipendia flagitarent, nec tamen pecunia ipsi adesset, artificium excogitavit, quo eos exerceret simul, iisque satisfaceret. Regio enim illa plures villas et loca munita habebat, quae plena mancipiorum et pecoris erant; haec autem Eumenes vendidit Phalangis aut mercenariorum ducibus, qui illa machinis

1 Justin XIV. c. 1.
2 Plut. l. l. c. 8. p. 496. Just. l. l.
3 Arrian p. XXX. 20.
4 Plut. l. l. cf. *Droys* l. l. p. 158. *Wess.* ad Diod. V. II. p. 296.

expugnarent et praedam militibus pro ratione debiti ſtipendii diviſit, quae eo major erat, quo minus provideri ejus incurſus potuerat [1]. Omnium autem maxime id ſtuduit, ut quicunque Perdiccae partibus etiamnunc faverent, ſecum conjungeret. Miſit igitur ad Alcetam Perdiccae fratrem et Attalum, qui cum nonnullis aliis in Piſidiam ſe receperant, ut ſeſe cum ipſo conjungerent; hi vero, convocato concilio, illi obſequi noluerunt, quia ejus gloriae invidebant. Tum Eumenes. Hoc est, inquit, quod dicitur, de pernicie nemo ſollicitus est [2]. Interea benevolentia et humanitate militum animos ſibi ita devinxerat, ut cum epistolae in ejus castra invenirentur, quibus C talenta et maximi honores illi decernebantur, qui Eumenem interfeciſſet, nemo tamen ſit inventus, qui illi inſidias ſtrueret. Quo cognito, Eumenes militibus gratias egit, quod nemo inventus esſet, qui ſpem cruenti praemii fidei jurisjurandi anteponeret, deinde callide addidit, confictas has a ſe epistolas esſe, ad ſuorum animos experiundos, quo facto, et in praeſenti labantium animos retinuit, et in futurum providit, ut ſi quid ſimile accidisſet, non ſe ab hoste corrumpi, ſed a duce tentari arbitrarentur. Omnes igitur operam ſuam certatim ad custodiam ſalutis ejus offerunt [3], atque decernunt, ut

1 Arrian. p. XXX. 34. ſqq. Plut. l. l. 8.
2 Plut. l. l. Arrian. p. XXXI. 4.
3 Just. l. l. Plut. c. 8. c. 497.

mille corporis custodes semper ei adessent. Gaudebant praeterea milites, eos sibi ab imperatore honores deferri, quibus amici a regibus affici soleant, nam causias purpureas, et chlamydes Eumenes largiebatur, quod apud Macedones donum maxime regium est [1].

Antipater interea, qui ex Asia nondum decesserat, Eumenem non est aggressus, sed Asandrum Cariae praefectum contra Alcetam aliosque Perdiccae amicos in Pisidiam misit, qui tamen aequo marte cum iis pugnavit, et recedere coactus est [2]. Antigonus deinde, cum Antipater in Europam abiisset, simul cum vere anni 320. copias ex hibernis contraxit, ut bellum cum Eumene inciperet. Hic sese ad Cappadociam denuo contulerat, et ibi hostem cum haud parvo exercitu exspectabat, Antigonus autem acriter ei institit, manus conferere cupiens, quamvis copiarum numero Eumenes praevaleret. Quod vero nemo praevidere potuerat, seditio quaedam, in castris Eumenis orta, Antigono mirifice profuit. Perdiccas enim, unus ex ducibus, brevi ante ab Eumene desciverat, et cum tribus millibus peditum et quingentis equitibus, tridui via remota castra fuerat metatus. Statim Eumenes contra eum misit Phoenicem Tenedium cum quatuor millibus selectissimorum peditum et mille equitibus. Is noctu clam iter fecit, et rebelles

1 Plut. l. l.
2 Arrian. p. XXXI. 10.

ex improviſo, circa ſecundam noctis vigiliam adortus, adhuc dormientes, ipſo defectionis auctore capto, reliquos facile oppresſit. Eumenes nonnullos capite mulctavit, et benevolentia ſibi reliquos retinere cupiens, eos cum reliquis copiis iterum conjunxit. Verum Antigonus, his auditis, haud minimam inde ſpem concepit, fieri posſe, ut aliquem ex ducibus Eumenis pelliceret: quod ei ita cesſit, ut ingentibus promisſis Appollonidem equitum praefectum ſibi conjungeret, eique perſuaderet, ut in ipſo proelio cum ſuis transfugeret. Castra tum Eumenes habebat locis equestri proelio in primis aptis, quae campi Orcynii dicebantur[1], atque illuc Antigonus quoque exercitum ducebat. Habuit hic ultra 10,000 peditum, quorum major pars erant Macedones, et duo millia equitum cum elephantibus triginta, atque his copiis tractus ſuperiores montanos occupavit. Eumenes autem cum viginti millibus peditum et equitum quinque millibus ei obviam procesſit, et de proditore nil ſuspicatus, ſuos in aciem eduxit. Acerrimum deinde proelium commisſum est, ſed, cum pugnaretur vehementisſime, Apollonides ad hostes tranſiit, quo turbatus exercitus Eumenis retrocedere coactus fuit, et Antigono victoriam cedere, qui, octo millibus adverſariorum caeſis, impedimentis omnibus potitus est, ita ut Eume-

1 De eorum ſitu, vid. *Droys*. l. l. p. 165.

nis copiae animum fere desponderent [1]. Qui tamen rei auctor fuerat praecipuus, Apollonides, comprehensus ab Eumene capite est damnatus. Aliâ hic, quam exspectaverant hostes, viâ aufugiens, eos praevertit, et ad eum locum, iis inscîis, rediit, quo pugna commissa fuerat. Cum ibi castra posuisset, ligno collecto, rogos exstruendos curavit, et suorum cadavera, tam militum quam ducum, rite sepelivit, ita ut Antigonus ipse ejus audaciam et sagacitatem admiratus fuerit [2].

Hostibus tamen se imparem esse, si bellum protraheretur, optime Eumenes intellexit, quam ob rem consilium cepit se in Armeniam conferendi, ut ibi socios colligere et majores copias contrahere posset: exiles enim res animi magnitudinem etsi non frangebant, tamen imminuebant. Summa prudentia illud exsequi aggressus est, ita ut Antigonus, quum omni genere copiarum abundans, eum persequeretur eumque saepe in itineribus vexaret, nunquam tamen cum eo manus conferere potuerit, nisi iis locis, quibus pauci possent multis resistere [3]. Accidit aliquando, ut Eumenes in Antigoni impedimenta incideret, quae maximas opes continebant, tot bellis praedationibusque comparatas. Ea diripere noluit, metuens ne sui praedâ onusti, segnes fierent et ad fugam inclinarent. Clam igitur ad Me-

1 Diod. XVIII. 40.
2 Plut. l. l. c. 9. p. 497.
3 Nepos l. l. c. 5. 2. Diod. XVIII. 41.

mandrum, qui iis praeerat, misit, qui eum monerent, ad montes recederet, equitatui non aptos. Quo facto, suos Eumenes praedam diripere jussit, et, cum eam sibi ereptam videret, dolorem simulans, suorum non tantum animos sibi habuit non infestos, sed simul omnes nullis impedimentis oneravit, quae fugam remorari possent [1]. Pervenire tamen eo, quo studebat, non potuit, extremo enim tempore, cum consilio capi non posset, hostium multitudine et celeritate circumventus est. Milites multi etiam eum relinquentes ad Antigonum transfugerunt, nec quidquam ei reliquum fuit, nisi ut castellum quoddam munitum occuparet, qualia multa in his montanis tractibus habebantur. Plurimos igitur militum dimisit, ne ipsa multitudine obsidio gravaretur, et cum equitibus quingentis et ducentis peditibus se Noram contulit. Castellum hoc erat montanum, exiguum quidem, cum ambitus duo stadia non excederet, sed natura non minus quam arte communitum. Situm vero in alta rupe erat, atque reposita ibi ingens frumenti, lignorum atque id genus rerum copia, adeo ut in multos annos omnia praebere affatim posset iis, qui illuc confugissent [2]. Fuerunt tamen plures inter eos, quos secum duxerat Eumenes, qui loci difficultate et rerum conditione adeo moverentur, ut ab eo

---

1 Plut. l. l. c. 9. p. 498. Polyaen. IV. 8. 5. p. 404.

2 Diod. XVIII. 41. de situ Norae vid. Nepos. c. 5. 3. Plut. c. 10. p. 498. Strabo XII. c. 2. p. 7. V. III. *Droys.* l.l. p. 169.

misſionem peterent, quam ſtatim benevole eos excipiens conceſsit [1]. Actum de rebus Eumenis videbatur, Antigonus enim Aſiam minorem totam fere occupaverat, nec quisquam jam ſupererat, qui cum ipſo de principatu contendere auderet. Quamvis autem amicitiam et fidem Antipatri nondum palam deſeruisſet, animo tamen conſtituerat jam exſequi, quae dudum agitaverat, ſibique imperium vindicare. Eumenem igitur ob ſaepius probatam ſagicitatem ſibi adjungere cupivit, quod eo facilius ſibi proceſsurum ſperabat, quo magis omnis evadendi ſpes ei esſet praerepta. Itaque cum Noram duplici muro, vallis, fosſisque cinxerat, Eumenem ad colloquium invitavit. Ille tamen primo recuſavit, noluitque castellum relinquere, niſi obſides dedisſet Antigonus, quo ille audito, eum admonuit, ita ageret, quaſi cum potentiore loqueretur. Tum Eumenes *οὐδένα* inquit, *ἐμαυτοῦ κρείττονα νόμιζω, μέχρις ἂν ὦ τοῦ ξίφους κύριος.* Miſit deinde Antigonus fratris filium Ptolemaeum obſidem, atque Eumenem ad ſe deſcendentem amplexus, diu familiariter cum ipſo est colloquutus: cum tamen de pace frustra ageret et ſocietate, non niſi difficulter, ingruentibus undique Macedonibus qui virum adſpicere cupiebant, Eumenem in tutum locum reduxit [2]. Antigonus igitur cum ſpes Eumenis

1 Hinc Diodor. l. l. modo ſexcentos recenſet, qui cum Eumene Noram tenuerunt, et postea plures etiam abiisſe aut morbis periisſe videntur, nam idem XVIII. 53 tantum quingentos nominat.
2 Plut. l. l. c. 10. p. 499. Diod. XVIII. 41.

fibi conjungendi cum fefellisfet, copiis ad Noram obfidendam relictis, cum reliquo exercitu in Pifidiam abiit, ut ibi Alcetam et Attalum aggrederetur, quos cito debellavit. Interea Eumenes Hieronymum Cardianum amicum in Macedoniam miferat, qui Antipatro Antigoni confilia nuntiaret, ab eoque peteret auxilia. Ipfe autem, ut Diodorus narrat, cum varias vitae vicisfitudines expertus esfet, animos non fubmittebat, obfcurum enim ei esfe non potuit, quam variae et inexfpectatae esfe foleant fortunae converfiones. Reges enim Macedonum inanem fpeciem tantum regni referre vidit, et multos interim adesfe, qui omnes fuis commodis prospicerent, ita ut facile exfpectare posfet, rerum converfionem locum habituram [1], quae ipfi opportunitatem daret ex Nora aufugiendi, atque de integro bellum gerendi. Nil igitur neglexit, quo fuos integros et ad omnia paratos haberet, et, quamvis praeter frumentum, aquam et fal, nihil ciborum fuppeteret, effecit, ut hilariter et laute vivere viderentur. Singulos vicisfim ad fuam menfam admifit, et colloquio et hilaritate coenam condivit, atque morum facilitate omnes fibi devinxit. Cum autem loci angustia fuis molesta esfet, nec ambulandi locus fuppeteret, maximam loci domum tanquam locum defignavit, quo omnes corpus leniter moventes ambularent. Ut vero equos robustos et for-

1 Diod. XVIII. 42. cf. *Droys.* l.l. p. 172.

tes conservaret, qui agitari non poterant, callidum fuit ejus inventum, ut stans jumentum calefieri exercerique posset. Substringebat nempe caput loro altius, quam ut prioribus pedibus plane terram posset attingere, deinde verberibus cogebat exsultare et calces remittere. Qui motus non minus sudorem excutiebat, quam si in spatio decurreret[1]. Praeterea hordeum contusum equis dedit, ut facilius concoquerent, quibus omnibus effecit, ut jumenta post complures menses aeque nitida haberet, ac si in campestribus ea locis fuissent. Quotiescunque vero voluit, apparatum et munitiones Antigoni, alias incendit, alias disjecit[2]. Tenuit autem se Norae, quamdiu fuit hiems, interea exspectans Hieronymi ex Macedonia reditum, ipsasque res considerans, quo abirent. Et, quod praeviderat, accidit etiam, nam in Europa mortuus erat Antipater, et Polysperchon munus summi imperii curatoris acceperat, quo tota rerum facies admodum fuit mutata. Cassander enim, Antipatri filius, aegre munus sibi ereptum ferens, cum Antigono et Ptolemaeo sese conjunxit, ut conjunctim Polysperchonta aggrederentur, atque ipsum Macedoniae praeficerent. Antigonus, hanc augendae auctoritatis opportunitatem nactus, facile imperium sibi delatum iri speravit, cum Eumenes inclusus, et Alcetas victus esset, atque ipse exercitum

1 Nepos. c. 5. 5. Diod. XVIII. 42. Plutarch. c. 11. p. 500.
2 Nepos. c. 5. 7.

haberet sexaginta millium peditum et equitum decem millium cum triginta elephantibus, quibus copiis neminem posse resistere confidebat, quare ἔγνω μὴ προσέχειν μήτε τοῖς βασιλεῦσι μήτε τοῖς ἐπιμεληταῖς αὐτῶν [1]. Arrhidaeus vero, Phrygiae ad Hellespontum praefectus, ejus consilia praevidens, suam provinciam munire studuerat, et urbem Cyzicum, quae praesidium recipere noluerat, erat aggressus, quo usus praetextu Antigonus eum bello petiit, ejusque provinciam sibi vindicare voluit. Arrhidaeus autem statim milites misit, qui Eumenem obsidione liberarent eumque ad belli societatem ducerent [2], quae tamen res effectu caruisse videtur, nam Antigono resistere Arrhidaeus non potuit, et alio plane modo Eumenes e Nora est liberatus.

Appropinquante vere anni 319 a. Chr. rediit tandem Hieronymus ad Eumenem, qui ex Macedonia redux in Asia minori degerat, cum Nora undique cingeretur, quo nunc demum, tanquam Antigoni legatus reverti potuit. Hic enim ad se Hieronymum arcessiverat, eique magnis persuaserat muneribus, ut legationem ad Eumenem susciperet, atque efficeret, ut pugnae in Cappadocia oblitus, amicitiam et belli societatem cum ipso jungeret, donaque longe majora prioribus et provinciam ampliorem acciperet, primus denique

1 Diod. XVIII. 50.
2 Diod. l. l. 52.

esset inter amicos et omnium rerum particeps [1]. Eumenes ita ab Hieronymo rerum conditionem edoctus, multo magis etiam, quam antea a tali foedere erat alienus, et fidem prodere, legitimis imperii regibus debitam, noluit, opportunitatem vero libenter hanc arripuit, ut se ex Nora expediret. Finxit igitur sibi foedus placere, et se de conditionibus agere velle. Cum autem foederis formula ei esset ab Antigono oblata, in qua ille primum quidem, ut invidiam evitaret, regum mentionem fecerat, sed Eumenem tamen sibi tantum obstrinxerat, hanc ille sic mutavit, ut cum regibus etiam Olympiadem nominaret, et promitteret, se eosdem cum illis amicos atque inimicos habiturum. Hisce mutatis, Eumenes formulam Macedonibus remisit, qui illum obsidebant, se paratum dicens, ut ita foedus iniret, ipsorumque judicio permisit, utra foederis formula justior esset. Tum illi Eumenis formulam statim adprobarunt, atque Nora abierunt, postquam Eumenes jusjurandum dederat. Hic vero, bene intelligens Antigono tale foedus numquam posse placere, quam primum potuit, suos ex Nora eduxit, atque obsides Cappadocum, quos habuerat, remisit. Jumenta statim, tentoria aliaque quibus opus habebat, ab urbibus vicinis accepit [2], et undique eos collegit, qui antea sub ejus auspiciis militaverant, et nunc per regionem errabant.

---

1 Diod. l. l. 50.
2 Plut. c. 12. p. 500.

Alacriter hi, multique praeterea, ad eum confluxerunt, ita ut brevi tempore duo millia fecum haberet, praeter quingentos equites, quos ex Nora eduxerat. Cum his in Cappadocia verfabatur jam Eumenes, quum Antigonus foederis formulam acciperet, qui tale foedus rejiciens, eum arctius etiam includi jusfit, re autem comperta, fuis maxime iratus fuit, quippe qui gravisfimum hostem e manibus dimififsent [1].

Polyfperchon interea, ubi bellum cum Antigono, Ptolemaeo et Casfandro inftare vidit, Eumenem Afiae praeponere decreverat, ut fic Antigonum impediret, quominus in Europam tranfiret, et, cum Hieronymus brevi ante rerum conditionem ei indicasfet, ipfi omnes istas copias adjungere ftatuit, quae regibus fidae in Afia manferant, nominatim Argyraspides, atque pecunias ei omnes administrandas permittere.

§ IV.

De ultimis, quae Eumenes cum Antigono gesfit, procliis.

In Cappadocia Eumenes verfabatur, cum Polyfperchontis et Olympiadis litteras accepit, quibus admonebatur, ut regum partes amplexus, inimicitias cum Antigono non deponeret, five in Macedoniam transgresfus, regum tutelam curare vellet, five in Afia, exercitibus

---

1 Diod. l. l. 53. Plut. l. l. 501.

pecuniisque acceptis, cum Antigono bellum mallet gerere. Praeterea ſcriptum erat, reges jusſisſe, ut provincia, ab Antigono adempta, ei redderetur, omniaque ipſi, quae antea obtinuisſet in Aſia, restituerentur, eosque ipſi quingenta talenta largiri, quibus damna reſarcirentur, et literas ad praefectos Ciliciae et pecuniarum custodes miſisſe, qui quingenta talenta et caeteras pecunias, quantis ad peregrinos milites conducendos indigeret, ipſi exhiberent, denique certiorem eum fecerunt, ſe Argyraspidum trium millium praefectis mandasſe, ſacramento ſe Eumeni obligarent, cumque in omnibus alacriter juvarent, qui totius Aſiae imperator, plena cum potestate, esſet conſtitutus. Olympias praeterea Eumenem rogavit, quid expedire cenſeret, ipſane in Epiro remaneret, an rediret in Macedoniam. Huic ille primum ſuaſit, ne ſe moveret et exſpectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur. Sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium injuriarum oblivisceretur, et in neminem acerbiore uteretur imperio: αὐτὸς δ' ἀεὶ τὴν εὔνοιαν βεβαιοτάτην πρὸς τοὺς βασιλεῖς τετηρηκὼς, ἔκρινεν Ἀντιγόνῳ μὲν μὴ προσέχειν ἐξιδιαζομένῳ τὴν βασιλείαν - τοῦ δὲ Ἀλεξάνδρου παιδὸς προσδεομένου βοηθείας, δίατε τὴν ὀρφανίαν καὶ διὰ τὴν τῶν ἡγεμόνων πλεονεξίαν, διέλαβεν ἁρμόζειν ἑαυτῷ πάντα κίνδυνον ἀναδέχεσθαι τῆς τῶν βασιλέων σωτηρίας ἕνεκα [1].

---

1 Diod. XVIII. 57—58. Nepos. c. 6. Plut. c. 13. p. 501.

His literis acceptis, Eumenes e Cappadocia in Ciliciam cum suis copiis tetendit, ubi Argyraspides, ducibus Antigene et Teutamo, castra habebant. Habuit eo tempore Eumenes peditum duo millia et quingentos equites, pluresque etiam exspectabat. Summa enim celeritate progredi debuit, quoniam Antigonus Menandrum cum copiis miserat, qui Eumenem in Cappadocia profligaret. Verum triduo serius hic advenit, et, postquam frustra hostem persequi conatus fuisset, in Cappadociam rediit. Eumenes autem magnis itineribus, superato Tauro, in Ciliciam venit, ubi Argyraspidum duces illi obviam cum amicis processerunt, ipsique sunt gratulati, qui e tantis periculis salvus evasisset, et ei, quantum in se esset auxilii, sunt polliciti[1]. Nec tamen Eumenem latuit, quam invisus esset Macedonibus, qui imperium recusabant peregrini, quem ante ipsi capitis damnaverant, praesertim cum ipsi duces dominandi cupidine flagrarent, milites autem invictus exercitus et tot victoriarum praefulgens gloria, omnes duces post Alexandrum fastidirent[2]. Quapropter Eumenes pecunias accipere noluit, imperii simul speciem callide a se avertere studens. Dixit enim in somnio sibi apparuisse Alexandrum, regio ornatu indutum, qui ipsum jussisset tabernaculum regium constituere, quo duces convenirent, de rebus deliberaturi, eum enim se ipsis ita adfutu-

1 Diod. XVIII. 59.
2 Justin. XIV. 2.

rum pollicitum esse. Haec cum admodum Argyraspidum ducibus placerent, statim tabernaculum est confectum cum sella aurea, in qua sceptrum, diadema et arma Alexandri deposuerunt [1]. Cum igitur non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur, quodammodo hic latebat, quum tamen per eum unum omnia gererentur [2], et non tantum ducum invidiam a se avertit, sed eorum etiam, ipsorum adeo militum, benevolentiam et favorem sibi conciliavit [3].

His ordinatis, Eumenes omnia ad bellum futurum paravit. Eos igitur, quorum fidem cognoverat, largissima pecunia instruxit, et per Asiam dimisit, ut magnis stipendiis milites conducerent. Nam pecunià abundabat, quum illi thesauri ei adessent, quos ex Asia Quinda [4] Argyraspides adportaverant. Factum ita est, ut multi, e Cypro etiam et Graecia, ad eum confluerent, e quibus exercitum collegit decem millium peditum et duorum millium equitum, praeter eos, quos jam antea secum habuerat [5]. Antigonus autem et Ptolemaeus, Eumenis fortunam moleste ferentes, quovis modo ei nocere

1 Diod. XVIII. 60. sq. Plut. c. 13. p. 501. Polyaen. IV. 8. 2. p. 399 sqq.

Nepos. c. 7. 3.

3 Diod. XVIII. 61.

4 De situ vid. *Wessel.* ad Diod. XVIII. 62. p. 303. *Droys.* p. 200.

5 E Nora eduxerat 500, collegerat antea 2000, (Diod. XVIII. 5. 9.) Argyraspides erant 3000, (ibid. c. 58) quibus si addideris 12000, quos nunc collegit, Eumenes jam habuit 17500 milites.

ſtuduerunt. Itaque Ptolemaeus cum claſſe ad Zephyrium Ciliciae appulit, ad eosque mittens, qui Quindis regios theſauros ſervabant, juſſit, in poſterum nemo quicquam Eumeni ſolveret. Fruſtra, nam major apud eos erat Eumenis et regiae domus, quam illius auctoritas. Antigonus contra perfidiâ Eumenem tollere ſtudens, Philotam, unum ex amicis, cum literis ad Argyraſpides caeteroſque Macedones miſit, qui Eumeni aderant, eique adjunxit triginta viros, qui Argyraſpidum duces convenirent, ut eos ad conjurationem contra Eumenem incitarent. Hi tamen apud duces nihil effecerunt, et Argyraſpides, literis acceptis primum tumultuantes, Eumenes monendo ita ſedavit, ut majore etiam quam antea, benevolentia illum proſequerentur [1]. Hic deinde cum exercitu ex Cilicia in Phoeniciam tetendit, atque urbibus naves imperavit, validam claſſem comparare ſtudens, cujus ope Polyſperchon maris imperium obtineret, et facile copias ex Europa in Aſiam mittere poſſet [2]. Iis non contentus, haud parvam pecuniam a civitatibus exegit, quam Polyſperchonti mitteret. Haec claſſis in Rhoſſum Ciliciae portum appulerat, ubi praefectus Soſigenes ob aeſtum pelagi morabatur, cum Antigoni claſſis ex improviſo appropinquaret, quae, victoria in Helleſponto reportata, coronis ſpoliiſque erat ornata.

1 Diod. XVIII. 62—63.
2 Diod. l. l.

Hanc ut viderunt Phoenices, direptis Eumenis pecuniis, in Antigoni triremes insiliebant, qui ita repente magnam pecuniarum vim, multosque socios acquisivit [1]. Antigono jam via patebat, qua in Europam transgrederetur, sed ille prius Eumenem devincere voluit, quam ex Asia abiret. Viginti igitur millia peditum et quatuor millia equitum ex toto exercitu elegit, qui maxime expediti essent, quibuscum in Ciliciam se contulit, ut Eumenem superaret, antequam majores hic copias contraxisset. Hic autem, quid rei esset intelligens, per Coelo-Syriam agmen duxit, ut ad superiores imperii provincias perveniret. Postquam Euphratem trajiciens, incolarum incursione suorum nonnullos amisisset, superato etiam Tigride, in pagis Babyloniae, quae Carae dicuntur, hiemem transigere decrevit [2]. Res Asiae quoque Eumenis consiliis haud parum profuturae videbantur, nam cum Python, Mediae Satrapes et *στρατηγὸς τῶν ἄνω Σατραπειῶν ἁπασῶν* constitutus, eo imperio insolentius usus esset, reliqui Asiae Satrapae sese contra eum conjunxerant, eumque coegerant provinciam relinquentem, ad Seleucum Babyloniae praefectum aufugere [3]. Eumenes igitur non tantum omnes ad bellum paratos invenit, sed, si sese cum alterutris conjungeret, statim multa habuit, quibus adjutus multo faci-

1 Polyaen. IV. 6. 9. p. 375.
2 Diod. XVIII. 73. XIX. 12. cf. *Droys* l. l. p. 263.
3 Diod. l. l. 14.

lius bellum cum Antigono gereret. Itaque ſtatim ad Seleucum et Pythonem miſit, ut illi regum cauſſae opem ferrent, et ſecum Antigono reſiſterent. Verum illi, regibus quidem affirmarunt ſe auxilium laturos, ſed numquam Eumenis imperata facturos, cui publico conſilio Macedones poenam capitalem irrogavisſent: et ſimul per legatos Macedonum animos ab Eumene abalienare fruſtra conati ſunt. Quae ut Eumenes audivit, ſuis ob fidem laudatis, Tigrim iterum transgresſus est, castraque poſuit ita, ut trecentis ſtadiis a Babylone abesſet, quo majorem Seleuco terrorem injiceret, et hinc Suſa progredi posſet, ubi reliquos etiam Satrapas cum ſuis copiis convenire placuerat. Cum tamen haec regio diutius commeatum exercitui praebere non posſet, ad alteram Tigridis ripam redire Eumenes conſtituit. Seleucus autem et Python, ante tranſitum perfectum, navibus quibusdam appulerunt ad illum locum, quo Eumenes castra habebat, et quovis modo Macedonibus perſuadere ſtuduerunt, ut Eumenem deſererent. Cum tamen fruſtra hoc ſe agere intellexisſent, fosſam diu obſtructam aperiri jusſit Seleucus, quo factum, ut, tota regione ſubmerſa, Eumenis exercitus in ſummum periculum adduceretur. Postridie igitur Eumenes, impedimentis relictis, ſuos ad alteram fluminis ripam traduxit, nec Seleuci equites, numero quippe inferiores, tranſitum impedire potuerunt. Nocte deinde ingruente, incolarum aliquis iis indicavit, quo-

modo aquam abducerent, quo facto, iterum flumen transierunt, ut impedimenta recuperarent. Seleucus hoc animadvertens, cum Eumenem suam provinciam relinquere, quam in ea manere mallet, legatos misit, qui inducias facerent. Eumenes igitur continuo in Susianam contendit, exercitu in tria agmina diviso, ne victus deficeret. Et cum jam antea ad Satrapas superiorum provinciarum regum litteras perferendas curavisset, nunc iterum misit, ut cum iis copiis ipsi obviam venirent [1], quas, duce Peuceste, collectas habebant [2]. Antigonus quidem, quominus hae copiae conjungerentur, impedire studuit, verum Eumenes longius jam progressus erat, quam ut praeverti res posset, quapropter redire debuit, ut majores copias contraheret. Quod vero facile exspectares, revera accidit: vix enim Eumenes se cum Satrapis conjunxerat, quin lites et contentiones de principatu orirentur. Quamvis enim Eumenes summus belli dux creatus esset, aderant tamen alii, qui aegerrime imperium ei concederent: nec ante res est composita, quam, Eumenis suasu, morem adoptarent, ante jam inductum, ut duces deliberaturi, quotidie ad regium tabernaculum convenirent [3]. Quamvis autem

---

1 Diod. l. l. 12. 13.

2 De numero harum copiarum vid. Diod. l. l. 14. 28. ubi totus Eumenis exercitus constitisse dicitur triginta quinque millibus peditum, equitum sex millibus et centum, et elephantibus centum et quatuordecim. cf. *Droysen* l. l. p. 266.

3 Diod. l. l. 15.

Eumenes copias longe plures, quam antea habens, facile jam Antigono resistere posse videretur, ab altera tamen parte luxuria et mollities, quae Satraparum exercitum non minus, quam summa morum corruptio, invaserant, non potuerunt non Macedonibus aliisque copiis, quas Eumenes adduxerat, vehementer nocere. Omnes enim Macedones effuse adulabantur, quos quotidie ad convivia vocabant, *καὶ ὀλίγου χρόνου τὸ στρατόπεδον ἀσωτίας πανηγυριζούσης καταγώγιον ἐποίησαν, καὶ δημαγωγούμενον ἐπὶ αἱρέσει στρατηγῶν ὄχλον, ὥσπερ ἐν ταῖς δημοκρατίαις*[1]. Verum cum Antigonus appropinquaret, et pugna instaret, omnes se ad Eumenem convertereunt, quippe qui solus talis videretur, qui illi resistere posset. Nam Antigonus cum Seleuco et Pythone Tigrim superaverat, et celeriter contra hostes Susa versus contendit. Cujus rei Eumenes certior factus, Xenophilum arcis Susorum praefectum, eam jussit acerrime contra Antigonum defendere. Ipse autem, postquam Macedonibus sex mensium stipendia solverat, et duobus talentis Eudamum, qui elephantibus praeerat, sibi conciliasset, ad flumen Pasitigrim exercitum duxit, quod transitu difficillimum, unius diei iter a Susis abest. Eumenes totam hujus fluminis ripam praesidiis firmavit, arcessitis etiam e Perside decem millibus sagittariorum, exspectans, quid Antigonus acturus esset. Hic, cum arcem Susorum frustra esset aggressus, Seleucum ibi

1 Plut. l. l. 13. p. 502.

cum exercitus parte reliquit, et, multis fuorum folis aestu amisfis, ad Copratem pervenit, quod flumen, in Pafitigrim influit. Illud tranfire fibi propofuerat, fed Eumenes, quid ageretur intelligens, cum quatuor millibus peditum et mille trecentis equitibus, quam celerrime potuit, fe ad Copraten contulit. Ibi hostium ultra tria millia peditum, et equites fexcentos, qui jam tranfierant, offendit, et praeter hos fex millia eorum, qui fparfim pabulandi caufa transierant, quos omnes non tantum in fugam dedit, fed, aliis aquâ fubmerfis, aliis caefis, ad quatuor millia captivos cepit [1]. Nec Antigonus auxiliari fuis potuit, quia navigia non habebat, quibus flumen tranfiret. Hac ille clade adeo fuit percusfus, ut ad urbem Badacam recederet, mox autem exercitum in Mediam ducere decerneret, ut ibi milites reficeret, quorum animi itinerum difficultate et acceptâ clade haud parum infirmati erant. Quo audito, qui cum Eumene conjuncti erant Satrapae, in varias fententias abierunt, Eumenes enim, quique cum ipfo ex Afia minore advenerant, illuc redire cupiebant, ceteri contra bellum in Afia fuperiore confici maluerunt. Quae contentio cum rebus graviter nocitura videretur, quoniam feparati hostibus impares esfent, Eumenes iis concedendum ratus, in Afia fuperiore manendum decrevit. Motis igitur a Pafitigride castris, viginti quatuor dierum itinere ad Perfepolin in Perfiam pervene-

1 Diod. l. l. 17. 18. Plut. 14. p. 502.

runt, ubi Peucestes exercitum lautisſima ratione excipiens, festum magnificentisſimum Philippi et Alexandri memoriae inſtituit, et nihil omiſit, quo militum animos ſibi devinciret. At Eumenem non latuit, quid ille mente agitaret, qui cum eum militum favore cumulatum videret, metuens ne, quod affectabat, ſummum ſibi imperium acquireret, literas quasdam fictas protulit, quibus Peucestae ſuperbiam deprimeret, ſuamque augeret auctoritatem. Syriacis illae literis erant conſcriptae, et ab Oronte Armeniae praefecto acceptae dicebantur. Iis autem continebatur: Olympiadem, una cum filio Alexandri, Macedoniae regnum, interfecto Casſandro, recuperasſe, et Polyſperchontem jam cum regii exercitus parte, in Aſiam contra Antigonum transiisſe, eumque Cappadociae imminere. Hae literae cum a praefectis militibusque lectae esſent, res ita commutata est, ut qui Eumenem antea fere contemſerant, jam ſummopere eum colerent, idque magis etiam, postquam Eumenes Sibyrtium Arachoſiae praefectum, in judicio vocatum aufugere coegisſet. Eumenes ita, ſumma in exercitu auctoritate recuperata, omnes dicto obedientes habuit, et quo magis ſuos alacres et promptos ad officia redderet, comitate et benevolentia, cum alios, tum ipſum Peucestem ſibi devinxit. Praeterea, pecuniâ ſe indigere fingens, quadraginta talenta ab iis ducibus est mutuatus, quos maxime ſibi infestos cognoverat, quo factum, ut illi,

metuentes de pecunia, ipfius falutem maxime curarent, et fidisfimi corporis custodes, fociique certaminum esfent[1].

Dum haec agebantur, Antigonus ex Media in Perfiam exercitum duxit, et Eumenes ei obviam progresfus, certamen committere conftituit. Verum cum, altero die, Eumenes facrificii opportunitate exercitum laute excepisfet, et militum animos oratione confirmasfet, ex immoderato vini ufu in morbum incidit, atque per aliquot dies morari debuit. Malo vero fenfim remittente, copias procedere jusfit, ipfe in lectica agmen fequutus, ne tumultu et clamore militari turbaretur[2]. Tum vero in primis apparuit, quantum omnium judicio caeteris omnibus praeftaret Eumenes peritià militari. Nam cum unius diei fpatium exercitus a fe invicem abesfent, et utrique ad pugnam fe pararent; Antigonus quidem facilem fibi fore victoriam fperavit, fi Eumenes abesfet, alter vero exercitus, demisfis animis, rebus desfperavit, fi illo duce careret. Quin, cum hostes in confpectum venisfent, Macedones pugnaturos fe negarunt, nifi Eumenes ipfos ordinasfet, nec prius progredi voluerunt, quam ille in lectica pofitus ad eos esfet delatus, et manu omnes falutasfet. Tum alacriter arma ceperunt, hostes ad pugnam provocantes, et Antigonus rationem videns, qua milites ordinati esfent,

---

1 Diod. l. l. 21—24. Plut. l. l. 14. Polyaen. IV. 8. 4. p. 402.

2 Diod. l. l. 24.

ſtatim Eumenem rebus interfuisſe intellexit. Lecticam autem per ordines hostiles delatam conſpiciens, Τοῦτ' ἦν τὸ φορεῖον, inquit, τὸ ἀντιπαραταττόμενον ἡμῖν, atque manus conſerere non auſus, exercitum abduxit [1]. Trium igitur ſtadiorum intervallo castra utrique poſuerunt, et per quatuor dies agros depopulati ſunt. Quinto tandem die Antigonus legatos ad Eumenis castra miſit, qui Satrapas excitarent, ut Eumenem relinquerent, et Macedonibus reditum in patriam et honores promitterent. Verum non ſunt admisſi, et Eumenes, cum ſuos ob fidem laudasſet, ſimul eos monuit, ut ab hostium fallacia in posterum etiam ſibi caverent. Regio, in qua tum castra habebant, inculta erat, et non diu tantos exercitus alere potuit, tridui vero via aberat regio Gabiene dicta, quae fertilisſima non tantum, ſed ab ipſa etiam natura munita erat; huc igitur nocte inſequente Antigonus ſe conferre decrevit. Hoc conſilium transfugae Eumeni indicarunt, qui eam regionem praeoccupare cupiens, ſtatim quosdam dimiſit, qui transfugarum ſpecie, Antigono renuntiarent, hostes noctu castra esſe invaſuros. Hic igitur, acie inſtructa, hostes exſpectavit, nec ante ſe deluſum ab Eumene ſenſit, quam hic jam castra reliquisſet, et longe fuisſet progresſus. Ille tamen cum quovis modo Eumenem perſequi conſtituisſit, Pythonem jusſit, cum reliquis ſequeretur, ipſe, asſumptis equitibus, quam celer-

1 Plut. l. l. 14. 15.

rime potuit, procesſit, et prima luce extremum hostium agmen asſequutus est. Tum Eumenes hostes conſpicatus, totum Antigoni exercitum brevi adfuturum putans, ſuos ſubſiſtere jusſit eosque in aciem eduxit. Interea Antigonus reliquas copias exſpectavit, quas, ut advenerant, ſtatim ordinavit. Summa tum arte uterque imperator milites diſpoſuit, nec quicquam omiſit, qnod rebus prodesſe posſet, et, quum jam ferveret pugna, ita prompte et callide duces omnia adminiſtrarunt, ut alter alterum ſuperare non posſe videretur. Accurate Diodorus Siculus[1] hanc pugnam descripſit, nec immerito, nam fuit celeberrima, quae in hoc bello locum habuit, quamvis rei exitus anceps fuerit. Cum per totum diem acerrime pugnatum esſet, uterque tandem imperator ſuis receptui ſignum dedit. Cum autem nox ingrueret, et neutra pars ſe victam fateri vellet, ſtabant denuo exercitus inſtructi, ut pugnam brevi inſtauraturi viderentur. Verum omnes itinerum molestiis et pugnae laboribus adeo erant confecti, ut ad mediam tandem noctem utrique recederent, castra metati centum fere ſtadiorum intervallo a loco, ubi pugnatum fuerat. Tum Eumenes ad locum pugnae redire voluit, ut caeſos tolleret, et ancipitem victoriam ſibi asſereret, ſed, cum plurimi obniterentur,

---

1 Diod. l. l. 27—31. cf. *Droys.* l. l. p. 284 ſqq. De numero copiarum, quas uterque habuerit, res incerta est, cum Diodori textus corruptus videatur.

qui ad ſua impedimenta reverti cupiebant, nec tutum videretur eorum nunc deſideriis reniti, propoſitum misſum fecit, quo factum, ut prior Antigonus ſuos ſepelire posſet ſibique victoriam adſcribere. Cum hoc ſummo mane peregisſet, ſtatim longe ab hostibus recedere conſtituit, Eumenis vero legatum non ante vesperam demiſit, caeſorum ſepulturam in crastinum promittens. Noctu autem castris motis, in Gadamartam Mediae provinciam ſe contulit, quo copias reficeret, et Eumenes, de Antigoni discesſu certior factus, milites ſuos nimis defesſos habuit, quam ut eum perſequi posſet. Quapropter postridie mortuos magnifico funere cum extulisſet, ad Gabienem profectus est[1], ut ibi hiemem tranſigeret.

Castra ibi habebat non ut voluit, neque ad uſum belli, ſed ut militum cogebat voluntas, qui luxurioſam vitam agebant, et late vagabantur, ut nonnulli mille ſtadiis remoti esſent[2]. Hoc Antigonus cum comperisſet, uti Cornelius Nepos narrat, intelligeretque, ſe parem non esſe paratis adverſariis, ſtatuit aliquid ſibi conſilii novi esſe capiendum. Duae erant viae, quibus ex Medis, ubi ille hiemabat, ad adverſariorum hibernacula posſet perveniri. Quarum brevior per loca deſerta, quae nemo incolebat propter aquae inopiam, ceterum dierum erat fere decem. Illa autem, qua

1 Diod. l. l. 32. 34. Polyaen. IV. 6. 10. p. 376.

2 Plut. l. l. 15. Nepos. l. l. 8. 1. 3.

omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat amfractum, fed erat copiofa, omniumque rerum abundans. Hac fi proficisceretur, intelligebat, prius adverfarios rescituros de fuo adventu, quam ipfe tertiam partem confecisfet itineris. Sin per deferta loca contenderet, fperabat, fe imprudentem hostem oppresfurum. Ad hanc rem conficiendam, imperavit, quam plurimos utres atque culleos compararentur: post haec pabulum: praeterea cibaria cocta dierum decem: atque quam minime fieret ignis in castris. Iter, quod habebat, omnes celat. Sic paratus qua conftituerat, proficiscitur. Dimidium fere fpatium confecerat, quum ex fumo castrorum fuspicio allata est ad Eumenem, hostem adpropinquare. Conveniunt duces: quaeritur, quid opus fit facto? Intelligebant, omnes, tam celeriter copias contrahi non posfe, quam Antigonus adfuturus videbatur. Tum, omnibus titubantibus et de rebus fummis desperantibus, Eumenes ait, fi celeritatem velint adhibere, et imperata facere, quod ante non fecerint, fe rem expediturum. Nam quod diebus quinque hostis adesfe posfet, fe effecturum, ut non minus totidem dierum fpatio retardaretur: quare circumirent, fuas quisque copias contraheret. Ad Antigoni autem refrenandum impetum, tale capit confilium. Certos mittit homines[1] ad infimos montes, qui obvii

1 Plut. c. 15. Diod. l. l. c. 38, narrant, ipfum Eumenem cum iis, qui praesto erant, copiis, montes occupasfe, ibique ignes accendisfe, et hoc fortasfe verius.

erant itineri adverſariorum, iisque praecipit, ut prima nocte, quam latisſime posſint, ignes faciant quam maximos eosque ſecunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant, ut adſimulata caſtrorum conſuetudine, ſuspicionem injiciant hostibus, his locis esſe castra, deque eorum adventu praenuntiatum, idemque postera nocte faciant. Quibus imperatum erat, diligenter praeceptum curant. Antigonus, tenebris obortis, ignes conſpicatur: credit, de ſuo adventu esſe auditum, et adverſarios illuc ſuas contraxisſe copias. Mutat conſilium, et quoniam imprudentes adoriri non posſet, flectit iter ſuum, et illum amfractum longiorem copioſae viae capit, ibique diem unum operitur, ad lasſitudinem ſedandam militum, ac reficienda jumenta, quo integriore exercitu decerneret [1]. Interea Eumenes copias undique omnes contraxerat, praeter elephantes, qui longius advenire debebant. Quos cum Antigonus audivisſet, praeſidio nudatos, non procul a ſuis castris abesſe, opportunitate uſus ſtatim miſit, qui ex improviſo belluarum ductores aggrederentur. Eumenes vero quid futurum esſet, praevidens, ſuorum miſit equites mille et quingentos, cum peditum mille, qui opportune advenientes, animalia periculo exemerunt [2]. Ita effectum erat, ut Eumenis auctoritas apud milites plu-

1 Nepos. l. l. 8—9. cf. Polyaen. IV. 8. 4. p. 403. IV. 6. 11. p. 376 ſqq.

2 Diod. l. l. 39.

rima esſet, omnesque eum ſolum ducem praedicarent, quo tamen haud levis ei invidia apud Argyraspidum duces, ceterosque Satrapas, conflata fuit, ita ut haud deesſent, qui illum quovis modo e medio tollendum esſe affirmarent. Convenerat tandem inter eos, ſtatim post pugnam, quae inſtabat, eum interficere, ſed Eudamus, qui elephantes ducebat, et Phaedimus, de pecunia metuentes, quam antea ei mutuam dederant, ad Eumenem rem detulerunt. Quo ille nuntio haud leviter est commotus, bene praevidens, actum esſe de ſalute, et omnia tanquam brevi moriturus, ordinavit, delens omnia ſcripta, ne hostes inde opportunitatem caperent, ut amicos molestiis afficerent. Inter belluarum turbam verſamur, Eumenes ad amicos dixit, et varia mente agitans, nunc Antigono victoriam prodere, mox in Mediam aufugere, vel ad Armeniam et Cappadociam ſe convertere voluit [1]. Tandem in victoria omnem ſpem reponens, copias in aciem eduxit. Habebat tum triginta ſex millia peditum et ſeptingentos, equitum ſex millia et quingentos, et elephantes centum et quatuordecim [2]. Antigonus viginti duo millia peditum, novem equitum millia et belluas ſexaginta quinque duxit. Uterque exercitus jam de ſumma rerum disceptaturus, inſtructus ſtabat, Eumenes ſuos ad pugnam incitans, per

1 Plut. l. l. 16.

2 Diod. l. l. 40, ubi videtur pro πεντήκοντα legendum esſe πεντακόσιοι, quod *Droys*. l. l. p. 298 tacite emendavit.

ordines ferebatur, acclamabant ei milites et Argyraspides, bono eum animo eſſe jubentes, quippe qui numquam hostibus eſſent ceſſuri. Miſerunt etiam hi ad Macedones, qui apud Antigonum erant, iis exprobrantes: ὦ κακαὶ κεφαλαὶ, ἐπὶ τοὺς πατέρας ἁμαρτάνετε. Sic omnes alacriter ſe ad pugnam pararunt. Regio autem, ubi pugnatum fuit, adeo arenoſa erat, ut ſtatim tantus ab equitatu pulvis excitaretur, ut, ſi quis vel paululum abeſſet, quid ageretur videre non poſſet. Quo animadverſo, Antigonus equites leviter armatos hostium cornu clam praetergredi juſſit, et, dum ceteri pugnae eſſent intenti, castra, quae quinque fere ſtadiis abeſſent, invadere et impedimenta diripere: quod illi haud difficulter perfecerunt. Interea ſumma virtute Argyraspides pugnarunt, et Antigoni copias, quamvis numero ſuperiores, cito in fugam verterunt, ita ut facile victoriam Eumenes reportaſſet, niſi Peucestes cum majore equitatus parte ſe ex proelio ſubduxiſſet, ſive ille ignavia hoc fecerit, ſive ab Antigono fuerit corruptus. Frustra Eumenes cum paucis reliquis equitibus, Antigoni equitatui reſistere conabatur, et numero victus ad castra recedere debuit. Ibi omnia direpta inveniens ſtatim ad Peucestem miſit, ut ſe ipſi denuo adjungeret, Antigonum conjunctim aggrederentur, et impedimenta recuperarent, ſed frustra. Nam ille longius aufugit, nec Eumeni copiae numero ſufficientes aderant, quibus hoc perficere poſſet, vel Argyraspidi-

bus auxilium praestare, qui, se ab equitatu destitutos videntes, ad flumen quoddam recesserant, Peucestem, tanquam cladis auctorem, criminantes. Cum ibi etiam duces convenerant, de rebus deliberantes, Satrapae ad superiores provincias statim esse redeundum censuerunt, Eumenes contra iterum in aciem descendere voluit, quia Antigoni quoque copiae superiore certamine magnam stragem acceperant. Macedones vero milites neutrum se facturos affirmabant, cum, impedimentis captis, uxores et liberi in hostium potestate essent. Quocirca tum quidem nil constitutum est [1]. Macedones autem statim ad Antigonum legatos de impedimentis aliisque miserunt, quibus ille se omnia redditurum pollicitus est, si Eumenem sibi traderent. Tum Argyraspides, quibus certe duces suasores fuerunt, rem nefandam perpetrarunt, et imperatorem hostibus prodidere. Qua de re audiamus Plutarchum, qui accuratissime magni viri caedem descripsit. Primum quidem, inquit, Macedones eum convenerunt, ut ipsum observarent, alii amissa impedimenta deplorantes, alii bono esse animo eum, victorem quippe, jubentes, alii alios duces criminantes. Deinde (cum Eumenes aufugere, rem suspicatus, conaretur [2]) impetu facto, gladium ei eripuerunt, manusque cingulo in tergum

---

1 Diod. l. l. c. 39—43. Plut. l. l. c. 16. Polyaen. IV. 6. 13. p. 379 sq. Justin. XIV. 3.

2 Justin. l. l. 4.

ligarunt. Cum vero Nicanor ab Antigono misſus esſet, qui illum abduceret, ut per medios Macedones traheretur petiit ſibique dicendi copia daretur, quippe qui non pro ſe deprecari vellet, ſed aliquid dicere, quod ipſis profuturum esſet. Cum igitur omnes tacerent loco edito ſtans et vinctas manus ostendens, „ Quale, inquit, O pesſimi Macedonum, tropaeum Antigonus de vobis ſtatuere potuit, turpius illo, quod vos ipſi, imperatorem prodentes, ſtatuistis? Nonne est indignum, victores vos victos fateri propter impedimenta amisſa, quaſi ſcilicet in illis, non in armis esſet ſita victoria, et impetatorem vos vestrum tradere, ut ea nempe recuperetis? Equidem invictus ducor, hostium victor, a ſociis proditus. Vos autem ego, per Jovem Militarem et Deos, qui juribusjurandis praeſunt, obtestor, hic vos me interficite: utique enim, hic etiam caeſus, a vobis necatus dicar. Neque Antigonus factum reprehendet, mortuum enim Eumenem, non vivum cupit. Sin parcere manibus volueritis, alteram mihi manum ſolvite, illa rem ipſe perficiam, aut, ſi gladium mihi non creditis, projicite me vinctum elephantibus. Id ſi feceritis, inſontes vos dicam, ut qui ſanctisſime et jusſtisſime imperatorem tractaveritis." Haec Eumenis verba apud reliquam multitudinem miſerationem excitarunt, Argyraspides vero clamarunt, ut ſtatim abduceretur, non enim esſe iniquum, ſi iste Cherſoneſita lugeret, qui innumeris bellis Macedones exercuerit. Simul

citisſime eum abduxerunt, et Antigonus ſeditioſam turbam metuens, elephantes decem multosque milites mittere debuit, qui eam reprimerent. Ipſe vero Eumenis adſpectum non ſustinuit, cum veteris amicitiae et conſuetudinis recordaretur. Custodum vero praefecto, roganti, quemadmodum eum ſervari vellet? Ut acerrimum, respondit, leonem aut ferocisſimum elephantum. Deinde tamen gravia vincula ei adimi jusſit, et amicos, qui colloqui vellent aut necesſaria adferrent, admittere permiſit. Veniebat autem ad Eumenem utrumque genus hominum, et qui propter odium gaudium ex ejus caſu percipere vellent, et qui propter veterem amicitiam colloqui eumque conſolari cuperent: multi etiam, ut formam cognoscerent, qualis esſet, quem tamdiu timuisſent, cujus in pernicie poſitam ſpem habuisſent victoriae. Antigonus interim, cum ſolus de eo conſtituere, ſervaret eum, nec ne, non auderet, ad conſilium retulit, ubi Nearchus et Demetrius Eumenem ſervare quovis modo conati ſunt, ceteri vero omni opera obſtiterunt, quia videbant, Eumene recepto, omnes prae illo, parvos futuros. At Eumenes, Nepos narrat, cum diutius in vinculis esſet, ait Onomarcho, penes quem ſumma imperii erat custodiae, ſe mirari, quare jam tertium diem ſic teneretur. Non enim hoc convenire Antigoni prudentiae, ut ſic deuteretur victo, quin aut interfici, aut misſum fieri juberet. Hic cum ferocius Onomarcho loqui videretur. Quid? tu, inquit, animo

ſi isto eras, cur non in proelio cecidisti potius, quam in potestatem inimici venires? Huic Eumenes, Utinam quidem istud evenisſet, inquit, ſed eo non accidit, quod numquam cum fortiore ſum congresſus: non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi ſuccubuerit. Non enim virtute hostium, ſed amicorum perfidia cecidi. Tum Onomarchus, Nunc igitur, inquit, cum fortiorem inveneris, opportunum ipſi tempus exſpecta. Cum autem Antigonus eum interficere conſtituisſet, ſed vereretur, ne qua ſeditio in exercitu oriretur, ſi eum diutius ſervaret, vetuit ad eum quemquam admitti, et quotidianum victum amoveri jusſit. Negabat enim, ſe ei vim adlaturum, qui aliquando fuisſet amicus. Hic tamen non amplius, quam triduum, fame fatigatus, cum castra moverentur, inſciente Antigono, jugulatus est a custodibus. Antigonus Eumenem mortuum propinquis ejus ſepeliendum tradidit, qui, militari honestoque funere, comitante toto exercitu ejus cadaver humaverunt, ejusque osſa ejus in Cappadociam ad matrem atque uxorem liberosque deportanda curarunt [1].

Hunc vitae exitum Eumenes habuit, annos quinque et quadraginta natus, cum ab anno vigeſimo ſeptem annos Philippo adparuisſet, et tredecim apud Alexandrum, eundem locum obtinuisſet [2]. Deinde vero inter eos, qui post

---

1 Plut. l. l. c. 17—19. Nepos. l. l. c. 11—13. Justin. XIV. 4. Diod. Sic. l. l. 41. Polyaen. IV. 6. 13. p. 381. Oroſius III. 23.

2 Nepos. l. l 13.

hujus mortem de imperio certarunt, eminuit, et meliore profecto fortuna dignus fuit, cum ob virtutem et prudentiam, tum ob fidem intemerate servatam. Prius proditus a suis, quam ab hostibus victus est, et incertum manet, quid magis in ipso admirandum sit, peritia et calliditas, an vero animus integer et generosus, quem per totam vitam ostendit. Quo majores autem in illo elucent virtutes, eo magis dolendum, tam pauca de majore vitae parte nobis esse tradita. Ea tamen, quae de illo cognovimus, adhibentes, viri mores adumbrare et investigare consilia, quae per totam vitam sequutus fuerit, aliquo modo possumus. Ita, antiquorum vestigiis insistentes, Eumenis quasi imaginem nobis proponere, et virum cognoscere licebit, quem ex omnibus magnis viris, quos illa aetas tulit, praestantissimum, sed miserrimum simul merito dixeris. Vincebat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate et celeritate ingenii, et cum perfidus esse nollet, suorum cecidit perfidiâ.

PARS TERTIA.

Eumenis characterismus.

Cum jam de Eumenis vita egerimus, ſuperest, ut ipſum virum etiam magis ex iis cognoscere ſtudeamus, quae de ipſo veteres tradiderunt. Eumenis igitur indolem et mores describere conabimur, eaque colligere, quae hac de re apud antiquos exſtant, quaeque ipſi efficere nobis posſe videmur ex univerſa ejus agendi et cogitandi ratione. Deinceps vero id investigare ſtudebimus, quod per totam vitam ſibi propoſitum habuit, quale fuerit, et quid tandem, omnes illas molestias et bella ſuscipiens, efficere voluerit. Si enim regni aliquam ſibi partem vindicare cupiisſet, multo certe facilius fuisſet, ſi Cratero vel Antigono ſe adjungere, quam cum iis certare, maluisſet. Hoc ceteri ſtuduerunt Alexandri duces, qui imperium dilacerarunt; ſed aliud quid Eumenes voluit. Ille apud Philippum et Alexandrum ſcriba fuerat, cum regibus diu fuerat verſatus, et, iis mortuis, alia plane ſequutus politica conſilia videtur. Tandem autem animadvertere lubebit, quantum Eumenis nomen apud ceteros Alexandri duces valuerit, quantaque ejus fuerit apud eos

auctoritas, et mors ejus quid effecerit. Sic enim Eumenem demum rite cognoscere poterimus, atque juste de ipso existimare, qui quantus vir fuerit: sic in primis adparebit, si cum iis contuleris, qui aetate ei suppares, virtute et ingenio inferiores fuerunt, quibusque omnibus ille restitit solus conjunctis.

§ I.

Eumenis mores et ingenium.

Quicunque Eumenis vitam considerat, hunc continuo advertere debet, quod jam Philippum in puero admiratum fuisse antiqui narrarunt, affirmantes, τὸν Εὐμένη φανέντα συνετὸν καὶ ἀνδρεῖον ἀρέσαι τῷ Φιλίππῳ [1]. Quid enim in ipso magis admiramur, quam prudentiam, solertiam, fortitudinem, quae quidem virtutes in illo ita elucent, ut nescias quamnam principem dicas. Quodsi hoc tantum de Eumene constaret, scribam eum apud Philippum et Alexandrum fuisse, facile tamen efficere posse mus, prudentiâ et solertiâ eum fuisse insignem, nunc vero, quae deinde acciderunt, magis etiam illud probant. Animadvertenda in primis sagacitas, qua cum hominibus sibi infestissimis versari, eos delinire, sibique adeo conjunctos reddere solebat. Invisus per totam vitam fuit Macedonibus, qui peregrinum oderunt. Propterea post Alexandri mortem, noluit primo

1 Plut. l. l. c. 1. p. 488. 7.

ſe rebus immiscere, et exſpectavit, donec ipſo carere amplius non posſent. Tum ſumma arte factiones inter ſe conjunxit, et, ut Plutarchus ait, κατεπράϋνε πολλοὺς καὶ πρὸς τὰς διαλύσεις ἡδίους ἐποίησεν [1]. Deinde alios alia ratione ſibi benevolos effecit, et apud ſe retinuit. Cum Craterus appropinquaret, rem ſuis reticuit, et huic ſagacitati victoriam debuit. Benevolentia et comitate Teutamum et Antigenem ſibi devinxit, qui antea ejus exitium optaverant. Argyraspides toties ſollicitatos ab hostibus, modo oratione et verbis, modo conſtantia et virtute, lenitate interdum et dolo, ſibi obſtrictos habuit. Qua in re minime negligendum, ſummam ſemper Eumenem ostendisſe animi humani cognitionem, quam tum certe ſibi comparaverat, cum ſcriba regius omnibus rebus interesſet, quàque effectum est, ut eo ſemper modo cum hominibus verſaretur, qui tempori et opportunitatibus esſet aptisſimus. Cum ſuos celare non posſet, quae post Perdiccae mortem Macedones de ipſo decrevisſent, ipſe iis indicavit, et omnibus liberam dedit discedendi optionem, ſi quis ea timeret: quo factum, ut omnes arctisſime ſibi adjungeret, quippe qui turpe putarent ducem tam candidum et generoſum deſerere. Paulo post literae in ejus castris repertae erant, quibus milites ad Eumenis caedem incitarentur. Ille gratias ſuis pro fide agens, hostium machinationes in ſuam rem convertit, et

1 Plut. l. l. c. 3. p. 491. 4.

a ſe confectas dixit, ut militum animos experiretur. Fastum Peucestis fictis literis depreſſit, quas ſagaciſſime compoſuerat, et auctoritatem, quam fere amiſerat, majorem quam antea recuperavit. Argyraspidum ducum ſuperbiam ſomnio quodam evitavit, et vana quadam ſpecie ita eos deluſit, ut ex inimicis fere amicos haberet. Quid dicam de ſolertia, qua hostium conſilia cognoscere et praevertere ſolebat, de ejusque prudentia militari? Numquam ex improviſo eum aggredi potuit Antigonus, quamvis ſaepius conaretur, nec umquam Eumenes victus est, niſi ſuorum contumaciâ et proditione. Repetere hoc loco omnia ſtrategemata nil attinet, quae in Eumenis vita memorantur, verum ne hoc praetervideamus, quanta nempe arte uſus ſit dicendi facultate, qua pollebat, ea ſemper proferens, quae propoſito aptisſima esſent. Erat enim, Plutarchus inquit, *εἰπεῖν δ' οὐ δεινὸς, αἱμύλος δὲ καὶ πιθανὸς*[1], ita ut facillime audientium animos flecteret. Cum Norae incluſus esſet, ille ſuis ſermonibus in primis militum animos exhilaravit, *τὸ συσσίτιον ὁμιλίᾳ χάριν ἐχούσῃ καὶ φιλοφροσύνην ἐφηδύνων*[2]. Solebat autem Eumenes verba ad eorum captum componere quos alloquebatur. Sic, cum aliquando Antigonus Macedones ſuis legatis corrumpere conatus fuisſet, illosque milites repudiavisſent, Eumenes, in medium

1 Plut. l. l. c. 11. p. 499. 30.
2 Plut. l. l.

procedens, ipſos collaudavit, καὶ λόγον εἶπε τῶν παραδεδομένων καὶ παλαιῶν, οὐκ ἀνοίκειον δὲ τῆς περιστασέως. Leo, inquit, puellae amore correptus, cum puellae patre de nuptiis egit, qui paratum ſe affirmavit ad locandam ei filiam, verum ſe dentes atque ungues metuere dixit, ne post matrimonium aliquando iratus, crudelius in puellam ſaeviret. Leo igitur ungues ſimul cum dentibus ſibi extraxit, et pater omnia eum amiſisſe videns, quibus metuendus fuerat, facile eum interemit. Tum ſubjunxit, τὸ παραπλήσιον οὖν ποιεῖν καὶ τὸν Ἀντίγονον, μέχρι τούτου γὰρ ποιεῖσθαι τὰς ἀπαγγελίας, ἕως ἂν τῆς δυνάμεως κυριεύσῃ, καὶ κολάσῃ τηνικαῦτα τοὺς ἀφηγουμένους [1]. Qua quidem oratione quid accommodatius dici potuerit, non video, nec mirum ſummo eam applauſu milites excepisſe. Nobis una cum Hieronymi operibus, (hic enim probabiliter plures memoriae mandaverat) Eumenis orationes perierunt, ſed haec, non minus eâ, quam ad milites habuit, quum ipſum prodiderant, masculam quandam eloquentiam refert, qualem in homine militari exſpectamus. Quod autem in imperatore ſummum est, tanta fuit Eumenes fortitudine, ut non inanis esſet jactatio, cum ſe fortiorem neminem invenisſe diceret. Testis ſit illa cum Neoptolemo μονομαχία, et tot certamina, in quibus ipſe inter primos verſabatur. Haec vero temperata erat modestiâ, moderatione et generoſitate ſumma.

1 Diod. XIX. 25.

Post pugnam cum Cratero commisfam, lenitate fibi Phalangem captivam devincire ftuduit, et cum Perdiccas ab eo defecisfet, multique eum fequuti esfent, non nifi eos punivit, qui rei auctores fuerant, reliquos tanta benevolentia tractavit, ut illaefos ad fuos ordines remitteret. In moribus Eumenis comitas ingeniique cultus dominatur, quem in regum aula fibi comparaverat, nec inter medios etiam milites amifit. Nihil rude aut agreste, nihil quoque inhumanum aut crudele in ipfo animadvertimus. Pacis artibus imbutum ingenium femper manifestavit, et amari fe a fuis, quam metui maluit. Quod autem antiqui jam funt admirati, quoties de Eumene agebant, fuit ejus conftantia, illaque animi vis, qua fibi res, non fe rebus fubmittere conabatur. Nulla impedimenta, ne ea quidem, quae fuperari posfe non viderentur, eum umquam a propofito abducere potuerunt, et, cum ab eo inde tempore, quo mortuus est Alexander, omnia ei adverfa viderentur, animum non despondit, fed quo majora imminebant pericula, eo minus fpem fubmittebat. Cum Craterus appropinquaret, militibus fuis fidem habere nullam Eumenes potuit, oppofitus ei erat optimus dux omnium, qui apud Alexandrum fuerant, cum copiis longe peritisfimis: non tamen ille metuit, nec motus est promisfionibus hostium. Postea ab Antigono fugato et Norae inclufo, quae ei fpes fuperesfe poterat? Quid ageret ab hostibus cinctus et cum parva manu relictus? Ἀυτὸς δὲ,

inquit Diodorus, πολλαῖς καὶ ποικίλαις κεχρημένος τοῦ βίου μεταβολαῖς, οὐκ ἐταπεινοῦτο τῷ φρονήματι [1], sed omnes Antigoni promisfiones rejecit, et femper fpem falutis confervavit. Licet deinde multis fe invifum fciret, nec nifi difficile alios fecum duces retineret, noluit propofitum demittere, fed fumma conftantia illud ad exitum perducere eo etiamnunc tempore conatus est, cum ipfum jam non amplius lateret, perfici illud vix posfe. Tanta fuit in viro animi vis, ut deprimi illa non posfe videretur, et fponte alios etiam moveret et fecum duceret: nec exftincta ea fuit, cum captivus ad Antigonum duceretur, fed invictos tum etiam ille fpiritus gesfit. Conjuncta vero cum illa fuit fumma confilii dexteritas et animi praefentia, qua non tantum in rebus obfcuris cerneret, quid facto opus esfet, fed etiam rerum eventum facillime conjiceret hostiumque praeoccuparet confilia. Ubi non provifa imminebant pericula, et omnes confilii inopes erant et desperabant, ille femper viam indicavit, qua res restitui posfent, nec ullae tam urguentes et difficiles rerum opportunitates fuerunt, ex quibus fe expedire Eumenes nesciret. Modo celeritate hostes praevenit, aut fagacitate eorum confilia irrita reddidit, modo dolo deceptos retinuit, et impetum retardavit. Quum victoriam reportaverat, dextre et prudenter ea utebatur, fi ipfe victus esfet, fic fe gesfit, ut

1 Diod. XVIII. 42.

hostes vix aliquid profecisse viderentur. In utraque fortuna aequam semper mentem servabat, quam nec secundae res efferre, nec adversae deprimere possent. Rebus numquam non intento, et omnia accurate observanti improvisum quid accidere non potuit, et, cum hostes rem jam confectam arbitrabantur, ille interea excogitaverat, quo eorum consilia prorsus frustrarentur. Hac Eumenis animi praesentia et dexteritate in primis factum est, ut tamdiu Antigono, et antea Cratero, resistere potuerit, eamque potius inter eas res referam, quas in summo imperatore inesse oportet, quam felicitatem, quam Cicero cum scientia rei militaris, fortitudine et virtute, in illo requirit [1]. Si enim quis alius, adversa fortuna Eumenes usus est, qui victus, nullam spem salutis, nisi in se ipso, habere potuit, victor autem causam, pro qua pugnabat, non potuit tueri. Quae vero omnium maxime nobis placet virtus Eumenis, est fides et animi integritas. Si temporum injuria nobis plura conservasset de amicitia Hieronymi et Eumenis, non dubito, quin simul egregia exstarent argumenta candoris animi et fidei, quam in amicitia ostenderit. Nunc vero tota ejus vita docet, quanta fide iis inserviverit, quibus semel se totum dicavisset. Multis invisus fuit Eumenes, cum apud Philippum et Alexandrum scribae munere fungeretur, nec quisquam tamen eum violatae fidei aut avaritiae potuit

1 Cicero pro lege Manil. 10.

accufare. Ipfe Hephaestion, cui quid umqvam negavit Alexander? ferre Cardianum non potuit, fed maluit Alexander amici inimicum apud fe retinere, quam Eumenis industriâ carere. Per viginti fere annos in regum aula fuerat verfatus, omnium fuerat conscius, nec umquam fidem, a regibus fibi habitam, fefellit [1]. Quid vero deinde egit? Caufam, quam amplexus post Alexandri mortem fuerat, non deferuit, quamvis maxima quaeque ei promitterentur, et morte probavit, quod Cratero et Antipatro respondit, fe *μέχρις ἂν ἐμπνέῃ τῷ ἀδικουμένῳ βοηθήσειν, καὶ τὸν βίον μᾶλλον ἢ τὴν πίστιν προήσεσθαι* [2]. Quid aliis videatur nescio; mihi femper tanta fides in Eumene fuisfe videtur, quanta in nullo major fuerit, nec intelligo quomodo Plutarchus Eumenem, *φιλοπόλεμον καὶ φιλόνεικον*, dicere potuerit, *Ὁ γὰρ*, fic pergit, *ἀσφαλῶς καὶ μετὰ τιμῆς βιοῦν ἐξὸν ἐκποδὼν γενομένῳ τοῖς πρώτοις, διετέλεσε μαχόμενος καὶ κινδυνεύων· Εὐμένει μὲν γὰρ Ἀντίγονος, ἐκστάντι τῶν ὑπὲρ τοῦ πρωτεύειν ἀγώνων, ἡδέως ἂν ἐχρῆτο τὴν μετ' αὐτὸν ἀγαπῶντι τάξιν* [3], quafi vero ita agens, fidem confervare potuisfet. Imo tum

1 Vere *Gillies:* Eumenes a man, who long and incorruptely enjoyed, without abufing in any one inftance, the confidence of his master; who exercifed power without pride, and enforced discipline without feverity, whofe conduct merited at once public respect, and royal favour, and whofe virtues difarmed envy. History of Greece, V. IV. P. I. p. 377.

2 Plut. l. l. c. 5. p. 493. 20.

3 Plut. Comp. Eum. et Sertor. c. 2. p. 509. 25.

transsfuga fuisset, et prodidisset causam, quam ipse defendere susceperat. Si bellandi studio et ardore Eumenes ductus fuit, quare tamdiu in regum palatiis latuit? Quare non, ut alii multi, armis gloriam sibi quaesivit? Quid? Antigono si se adjunxisset, nonne cum eo multa bella supererant conficienda? Non pugnandi ardore incitatus Eumenes tantos labores exantlavit, sed ut fidem, regiae domo semel datam, intemeratam conservaret. De Eumenis integritate dubitatum est etiam, ob ea, quae Plutarchus narrat, quaeque nos supra retulimus: eum scilicet aliquando ab Alexandro rogatum, ut trecenta ipsi talenta daret, non nisi centum dedisse, postea vero amplius mille apud eum esse inventa, quasi nimia tum pecuniae cupidine ductus fuisset [1]. At vero quod regi mutuam dare detrectaret eam pecuniam, quam labore et industria sibi comparaverat, cum facile provideret, se non facile eam recuperaturum, hoc avaritiae argumentum non est. Affirmari potius possit, Eumenem, si contra fas pecuniam corradere studuisset, non tamdiu certe regibus acceptum fuisse, qui summis honoribus ejus operam et fidem remunerarunt. Nec deinde ille tot se molestiis immiscere maluisset, quam partis opibus quiete frui, nec repudiasset pecunias, sibi a Polysperchonte et Olympiade oblatas, si avarus merito diceretur. Haec non ita dicta quis accipiat, quasi Eumenes perfectus ali-

---

1 *Droysen*, Geschichte Alexanders p. 555.

quis, ac nullis vitiis inquinatus dicendus fit, habuit ille fine dubio, ut omnes homines, ea, quae minus probanda esfent, fed cum ea nobis antiqui non tradiderint, aliunde efficere non licet. Fuit igitur, qualem adumbravimus, folers, prudens, fortis, generofus, modestia, fide, conftantia infignis, et, quod raro fieri folet, eas virtutes conjunctas habuit, quae ipfum non minus ad res civiles administrandas aptisfimum redderent, quam efficerent, ut optimus et peritisfimus belli dux esfet. In quacunque conditione Eumenem verfantem videmus, five fecunda, five adverfa utatur fortuna, femper eum admiramur, et jure magnum virum et praeclarum posfumus praedicare.

§ II.

Eumenis munus, fcripta, politica confilia.

Cum de Eumenis ingenio egerimus, fequitur, ut etiam exploremus, quaenam politica confilia per totam vitam fequutus fit. Non enim cafu et forte factum videtur, ut diverfo plane modo, ac reliqui, qui post Alexandri mortem inclaruerunt, fe gesferit. Cum enim hi regiam domum negligerent et fuis commodis tantum intenti esfent, ille contra eam conftituit tueri, fibique aliquid acquirere noluit. Hoc ut rite explicari posfit, res paulo altius est repetenda, atque animadvertendum in primis, quis Eumenes fuerit, et quibus necesfitudi-

nibus a juventute inde cum regia familia conjunctus fuerit. A quo enim tempore Philippus eum fecum e patria duxerat, tam firmis vinculis cum regia familia fuit junctus, ut deinde illa frangi posfe non viderentur. Omnia enim Eumenes debuit Philippo, qui non tantum in regiam aulam eum vocaverat, fed etiam fcribae munus ei obtulerat, quod, quo majorem fidem et industriam requirebat, eo honorificentius erat. Multi ftatim honori Eumenis invidebant, et lubenter eum removisfent, fed rex illum tuebatur, quoniam bene fine dubio intelligebat, quanti esfet faciendus, nec fcribam cuperet nimis Macedonibus amicum. Eumenes autem quotidie magis ad regem fe applicuit, et huic in primis placere, fummo quippe patrono, conatus est, non nescius actum esfe de fua falute, fi hunc fibi infestum haberet. Sic factum, ut Philippum inter et Eumenem necesfitudo quaedam oriretur, et alter altero carere fe non posfe fentiret. Alexander deinde tam vasta confilia mente agitans, in primis opus habuit viro, qui omnia rite adminiftraret, et, cum ipfe fuis expeditionibus esfet intentus, imperata exfequutioni mandaret. Nemo his aptior Eumene, nec mirum, Alexandrum hunc, qui tam diu patri fumma cum fide adparuisfet, fecum retinuisfe, et fummis affecisfe honoribus, quo magis eum fibi adjungeret. Sed eo major etiam invidia facta est, qua viri Macedonum principes Eumenem perfequebantur. Vidimus, quo in eum animo

Hephaestion fuerit, ſed ſimul apparuit, quid apud Alexandrum potuerit, ad quem ſe ſtatim contulit, cum ſibi injuriam fieri putaret. In regis amicitia Eumenes omnia ſita habebat, et ſub ejus tantum tutela ab aliorum inſidiis tutus erat. Qui aliter fieri potuit, quin totum ſe regiae domui dicaret? Flagitabat hoc gratus animus, jusſit ipſa rerum conditio. Praeterea natura muneris, quod Eumenes gesſit, magis etiam eum, quam alios cum Macedoniae regibus conjunxit. Cum enim ſcriba regius esſet, ſemper cum regibus verſari debuit, et, cum alii longe abesſent, ſuis ſinguli negotiis intenti, Eumenes in aula ſumma regis familiaritate fruitus est, nec umquam ab ejus latere discesſit. Adfuit ille ſive ſecunda, ſive adverſa rex fortuna uteretur, ad ipſam regiam familiam quotidie accesſit, nec mirum tradi, eum ad amicitiam Philippi atque intimam venisſe familiaritatem [1]. Sic factum, ut tanta licentia apud Alexandrum uti potuerit, ut ipſe ei rex ſubiraſceretur, ὡς ὕβρει μᾶλλον πρὸς ἑαυτὸν ἢ παῤῥησίᾳ χρησαμένῳ [2]. Quanto melius ceteris regem cognoscere, et ejus indolem perſpectam habere debuit! Quanto accuratius domeſticam, et, ut ita dicam, internam ejus familiae conditionem debuit novisſe! Nec inconſiderate Olympias egit, cum ab Eumene potisſimum peteret, is ſibi ſuaderet, utrum rediret in Macedoniam, an in Epiro

1 Nepos. l. l. c. 1. 4.
2 Plut. l. l. c. 2. p. 420.

maneret, quippe qui omnium optime rerum opportunitates haberet perſpectas. In regum aula multorum hominum mores Eumenes vidit, ſi quidem ingenio et moribus maxime diverſi ibi adfuerunt. Cum his omnibus Eumenes verſatus est per viginti fere annos, novit quomodo erga reges eorumque familiam esſent affecti, et facile post Alexandri mortem, conjicere potuit, quid illi mente agitarent, nec quantopere ipſe iis esſet inviſus ignoravit. Quae conſideratio haud parum contulisſe videtur, ut deinde ita ſeſe gereret. Verum Eumenis munus non tantum effecit, ut firmiore, quam alii, vinculo cum rege ejusque familia junctus esſet, ſed etiam, ut conſiliorum omnium particeps esſet, et in concilio regem ſemper comitaretur. Nil perficiebatur, quod non antea praeviderat, ſciebat, quid mente reges agitarent, et quo propoſito omnia agerentur, nec erat, qui abditisſimas etiam rerum cauſas et occulta conſilia melius teneret, quam Eumenes, qui omnibus intererat. Haec res, ut praeclare nos jubet de Eumenis fide judicare, ita haud parum contulit, ut ille deinde politica ſcientia alios ſuperaret. A juventute enim in mediis rebus civilibus verſatus est, magnas non tantum rerum converſiones vidit, ſed etiam cauſas, obſcuras ſaepe, quibus omnia fierent, optime cognoscere potuit, hominum vidit dolos, fraudes, machinationes, civitatum vigorem et interitum, regum vitia et virtutes. Regnum Macedonicum ſummo gloriae fastigio poſitum

conſpexit, et praevidit ſine dubio inſtantem lapſum et interitum. Pauca nobis de ipſo munere, quod Eumenes gesſit, nota ſunt, haec tamen facile ex iis probantur, quae ante in Eumenis vita jam attulimus, et, ſi quis dubitet, hoc etiam velim attendat, ab Eumene in primis illas fuisſe conſcriptas ἐφημερίδας, quas Alexander de ſuis rebus componi jusſit[1], et quas nemo, niſi qui omnibus ſemper interesſet, rite potuit deſcribere. Adfuit ei in hoc negotio Diodotus Erythraeus, et eo opere accuratisſima continebatur narratio[2] de omnibus, quae rex egisſet. Quem morem Alexander vel a regibus Perſarum mutuatus est vel, jam antea apud Macedones in uſu, ſecutus est[3]. Amplum opus fuisſe videtur, ſi quidem Strattis Olynthius[4] ejus epitomen quinque libris confecit: verum fragmenta paucisſima ſuperſunt, ut ex iis de operis ratione judicare vix posſimus. Ille tamen festinantius ageret, qui, quia Plutarchus bis tantum laudavit, Arrianus ſemel[5], putaret illas Ephemerides ea tantum continuisſe, quae ad quotidianum victum et negotia ſpectarent v. c. quando

1 Athenaeus X. p. 454.

2 Dubitatum fuit de his Ephemeridibus, ſed immerito, vid. *Fabric.* Biblioth. Gr. V. III. p. 29 ſq. et cum Eumenis muneris natura optime convenit, eum hos annales ſcripſisſe. De Diodoto Erythraeo nil comperi, cf. *St. Croix* Examen. Crit. p. 45. *Vosſius* de Hist. Gr. p. 74. Aelian. Var. Hist. III. 23.

3 Prius putat *Heerenus* de fontib. Plut. II. p. 62.

4 Vid. Suidas in v.

5 Plut. vit. Alex. c. 23. p. 131. c. 76. p. 177. Arrian. VII. 25. cf. etiam Plut. Symp. I. 6.

rex surrexerit, quando Diis sacra fecerit, venatum exierit, similia, nam, ne dicam talem librum, quo aliud nihil contineretur, ridiculum fuisse, numquam sane Alexander, prae gloriae studio, quo ducebatur, hoc tantum de se posteritati tradi voluisset, quid quotidie edisset, aut quando venatum exiisset. Illud potius hoc opus continuisse putem, quid quotidie rex fecerit, quid mente agitarit, consilia, deliberationes, decreta regis, et vitam simul ejus domesticam. Dum multi ea describebant, quae foras peregisset Alexander, Eumenes cum Diodoto ea adnotabat, quae inter parietes obtinuissent. Sic opus composuerunt, quod, si superesset, non dubito, quin plurimum conferret ad rite cognoscendum Alexandrum, idemque magis fortasse Plutarcho profuit, quam nunc vulgo existimatur. Eumenes igitur semper in regia aula cum rege et regia familia conjunctus, in mediis rebus civilibus magnam vitae partem traduxit. Ceteri contra, qui post Alexandri mortem inclaruerunt, in armis fere aetatem transegerant, multo minus cum familia regis fuerant versati, et nullis fere cum ea vinculis erant conjuncti. Quapropter statim ac mortuus erat Alexander, illi, qui eum vivum maximi fecerant, de ejus regno sibi vindicando cogitarunt, et tot bellorum atque laborum praemium aliquam imperii partem petierunt, non cogitantes in regis familia adesse, quibus haec jure deberentur. Dum vivebat ille, quem omnes ducem amaverant et venerati erant, nemo de ejus regno

ſibi acquirendo cogitaverat, ſed laeti omnes illum erant ſequuti, qui ad novas ſemper victorias eos ducebat. Milites bella gerere et praedari, duces vincere et imperare erant conſueti, et Eumenem certe non latuit, quid futurum esſet, ſi imperatore illi carerent. Ex hac rerum conditione explicanda omnia Eumenis politica conſilia, quae postea manifestavit. Quid enim? Quo magis ſibi Macedones infestos novit, eo magis ſe cum regia domo conjunctum ſenſit, et ejus jura quovis modo contra omnes aggresſores tueri decrevit. Omnia Eumenes Macedoniae regibus debuit, vixerat cum iis conjunctisſime, ſummis ab iis fuerat adfectus honoribus, eorum igitur cauſam numquam relinquere ſtatuit, et ab eo inde tempore, quo ceteri regnum ſibi adipisci conati ſunt, ille ſolus omnibus restitit, et regiae domus jura acerrime vindicavit [1]. Sic factum ut, omnibus ceteris ſuum commodum ſpectantibus, ille nil ſibi acquirere, ſed regibus omnia ſervare maluerit, et unus ſe omnibus oppoſuerit. Vidit familiam Philippi et Alexandri tutelâ destitutam, ab omnibus cir-

1 Explicari hoc ſolet (*Schlosſer* Univerſalhist. Ueberſ. der Geſch. I. III. p. 377. p. 389. *Droyſen* l. l. p. 509) ex necesſitate quadam, quaſi aliter agere Eumenes *non potuisſet*. At vero, ſi ſe cum Cratero aut Antigono conjunxisſet, ſine dubio non tantas molestias perdurare debuisſet, et cum meliore ſpe rem gesſisſet. Hi enim tantum virum plurimi fecerunt, et maximos ei honores promiſerunt, ita ut non videam, quae illa Eumeni necesſitas fuerit, ut his ſe ad extremum usque opponeret.

cumventam, et perfuafum ei erat, justam ejus esfe caufam et legitimam. Hanc igitur fusceptam ad mortem usque defendit, et a multis follicitatus, fidem intemeratam fervavit. Rogare quis posfit, quomodo ergo factum fit, ut Eumenes fe cum Perdicca conjunxerit, qui etiam fibi auctoritatem acquirere haud occulte fluduit. At vero tenendum, aliter Eumenem agere non potuisfe, quia Macedonibus invifus omnique auctoritate destitutus, ipfe tum familiae regiae jura contra omnes tueri folus non potuit. Praeterea nondum aperte duces fe oppofuerant, Perdiccas ipfam Alexandri voluntatem fe exfequi profitebatur, et fe regni curatorem et domus regiae defenforem jactabat. Eumeni autem nil erat reliquum, quam ut huic fe adjungeret, qui cum eo reliquos, qui apertius jam defecerant, debellaret, fi opportunitas adesfet postea domui regiae profuturus. Deinde autem, quum Perdiccae morte rerum facies mutata esfet, aperte jam fuum confilium Eumenes est profesfus, et, ut Diodorus ait, *αὐτὸς δ' ἀεὶ τὴν εὔνοιαν βεβαιοτάτην πρὸς τοὺς βασιλεῖς τετηρηκὼς, ἔκρινεν Ἀντιγόνῳ μὲν μὴ προσέχειν, ἐξιδιαζομένῳ τὴν βασιλείαν· τοῦ δὲ Ἀλεξάνδρου παιδὸς προσδεομένου βοηθείας, διά τε τὴν ὀρφανίαν καὶ διὰ τὴν τῶν ἡγεμόνων πλεονεξίαν, διέλαβεν ἁρμόζειν ἑαυτῷ πάντα κίνδυνον ἀναδέχεσθαι τῆς τῶν βασιλέων σωτηρίας ἕνεκα* [1].

---

1 Diod. XVIII. 58.

Hoc fuit principium omnium eorum, quae postea Eumenes peregit, quare tantas, tamque graves labores fubierit. Non quia fibi hoc profuturum fperabat, fi regiae familiae jura vindicaret, aut, quia ita fuam exfpectabat auctoritatem auctum iri, fed quia maximis vinculis fe cum ea junctum fentiebat, et ea beneficia recordabatur, quae antea a regibus accepisfet, in primis vero quia justitiam caufae videbat, nunquam eam defe-rere voluit. Si enim quietam vitam agere maluisfet, quanto facilius eam fibi eligere potuisfet! Auctoritatem, opes, imperii partem ei Antigonus obtulit, fed omnia rejecit, ne id, quod conftituisfet, demittere cogeretur. Et tantam fagacitatem politicam, ut ita dicam, Eumenes femper ostendit, ut nesciam, an omnes Alexandri duces hac in re vicerit. Ille a teneris inde hoc munus habuerat, quo in rebus politicis femper verfaretur, cum alii bella tantum gesfisfent. Hinc factum, ut hi armis fere rem dirimere conarentur, Eumenes contra fagacitate magis copias fuas augere, fibi alios adjungere, ipfos praevenire ftuduerit. Haec de Eumenis confiliis politicis dicta fufficiant, e quibus hoc manifestum esfe putamus, ea originem plane habuisfe et fundamentum in vitae ratione et munere, quod antea obierat, atque hinc esfe explicandum discrimen, quod inter ipfum, aliosque Alexandri fuccesfores animadvertitur.

§ III.

De Eumenis existimatione apud reliquos Alexandri succesſores.

Ex iis, quae diximus, ſponte intelligitur, omnes, quotquot ſibi regni partem vindicare post Alexandri mortem ſtuduerunt, Eumenem in primis ſibi adverſarium habuisſe. Quod factum est maxime, postquam, mortuo Perdicca, Eumenes ſua conſilia magis palam fecerat. Tum enim nemini amplius dubium esſe potuit, quin ille reliquis acerrime reſisteret, atque unus maxime esſet metuendus. Omnes praeterea viri ſagacitatem et rerum peritiam tenebant, cognoverant fidem et industriam, nec vincula, quibus cum regia familia esſet conjunctus, ignorabant. Quae omnia effecerunt, ut, dum ille ſuperesſet, optimum regiae domo defenſorem, maximum ſibi hostem non defuturum omnes facile praeviderent. De Eumene quanta fuerit omnium opinio, hinc maxime patet, quod Ptolemaeus ſtatim post victoriam de Perdicca reportatam, curavit, ut Eumenes capitis damnaretur, et omnia deinde tentarunt alii, ut eum tollerent. Antigonus omnium copiarum, quae in Aſia aderant, dux fuit creatus, ut Eumenem devinceret, et munus accepit, quale ante nemo tenuerat[1], ut illum ſuperare posſet. Nullas deinde artes non

---

1 Vid. *Droys.* Geſch. des Hellen. p. 153.

adhibuit, proditionem etiam et corruptionem, ut vires Eumenis frangeret, nec ante se ad alios hostes, Alcetam et Attalum, qui e Perdiccae fautoribus supererant, convertit, quam adversarium Norâ inclusum teneret. Deinde autem, cum hinc aufugisset, statim Antigonus eum assequi frustra conatus, proditione interficere studuit idemque Ptolemaeus tentavit. Omnia tandem prae illo parva ducens, nil sibi prius agendum existimavit, quam Eumenem devicisset, et missis, quae agitaverat, consiliis omnibus, bellum cum universis copiis in Asiam summa virium intentione gessit, ut ita demum securus imperium sibi acquireret, si Eumenes victus esset. Seleucus vero et Python se cum illo conjungere noluerunt, quovis modo eum a sua regione removere studentes, hanc maxime ob causam, quia actum de suis consiliis esse intelligebant, si Eumenes adesset. Sic omnes Eumenem metuebant, qui contra jus et fas sibi Alexandri imperium lacerandum sumpserunt. At vero iidem etiam Eumenem admirati sunt. Testes sint tot conamina, quibus eum ad suas partes pellicere sunt conati, ut ejus peritiam et solertiam ad suas res adhiberent. Maxima dona ei promiserunt, nec quicquam habuerunt antiquius, quam ut tantum virum sibi adjungerent. Ipse adeo Antigonus hunc, quum ei fuisset infestissimus, conservasset, si per suos licuisset, quoniam a nullo se plus adjuvari posse intelligebat in his rebus, quas impendere jam adparebat omnibus, immi-

nebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemaeus, opibus jam valentes, cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum, sed non passi sunt hi, qui circa erant, quod videbant, Eumene recepto, omnes prae illo parvi futuros [1]. Tantopere virtutis praestantiam in Eumene hostes quoque sunt mirati.

Quod autem animadvertere hoc loco debemus, ut rite de Eumene judicemus, illud est, eum scilicet, cum regiae familiae jura defendenda sibi sumpsisset, omnes, qui ea aggrederentur semper hostes habuisse. Qui vero speciem saltem prae se ferebant, quasi idem cum ipso vellent, hos, ut non amicos habuerit, quodammodo tamen se cum iis conjunctum sensit [2]. Hinc explicandum, quod, cum Norae obsideretur, ab eodem Antipatro auxilia per Hieronymum petierit, quem brevi ante acerrimum hostem habuerat. Hic enim in Macedoniam reversus Alexandri filii tutorem se perhibuit. Bene Eumenes ejus aliorumque consilia perspexit, et omnem arctiorem conjunctionem rejiciens, se tum tantum iis adplicuit, cum illi jura regiae domus revera tuerentur. Huic unice se conjunctum sensit, et perire maluit bene meritis referens gratiam, quam ingratus vivere. Ita etiam ipsa regia domus, illique, qui eam defendere se

---

1 Nepos. c. 10. 3.

2 Praeclare *Schlosser* l. l. p. 389: Eumenes sah in Perdikkas nicht den General, der mit anmasſendem Ehrgeiz den Thron zu untergraben suchte, sondern nur den Minister des blödsinnigen Arrhidaeus, und den Vormund des jungen Alexander Aegus.

ſimulabant, Eumenem tanquam principem ſuae cauſae defenſorem conſiderarunt, et omnem ſpem in ipſo ſitam habuerunt, uti vel ex literis patet, a Polyſperchonte ad Eumenem datis, quibus erat perſcriptum: *μάλιστα πάντων πρέπειν, Εὐμένη τῆς βασιλικῆς οἰκίας κήδεσθαι καὶ φροντίζειν, ἀκολουθοῦντα τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πεπολιτευμένοις πρὸς τὴν βασιλικὴν οἰκίαν*[1]. Et Olympias, bene videns omnes alios ſimulate tantum regiam domum tueri, ut facilius ſibi prospicere posſent, ſcribere non dubitavit, Eumenem *μόνον πιστότατον ἀπολελεῖφθαι τῶν φίλων καὶ δυνάμενον διορθώσασθαι τὴν ἐρημίαν τῆς βασιλικῆς οἰκίας*[2]. Hinc jam videmus, ab omnibus Eumenem fuisſe conſideratum, tanquam ſolum et unicum regiae familiae defenſorem, ſincerum et integrum justae cauſae vindicem inter omnes Alexandri ſuccesſores, qualem jam antea ex ipſa historia cognovimus. Quod magis etiam intelligimus, ad ea attendentes, quae post ejus mortem acciderunt. Antigonus enim, cui nemo jam reſistere potuit, Aſiae imperium adeptus erat, et omnem ſimulationem omittens, palam ſua auctoritate agere incepit. Primo Pythonem interfici jusſit, et brevi post novam Satrapiarum in Aſia diviſionem inſtituit, omnesque, quas potuit opes, undique corraſit. Babylonem deinde redux Seleucum item tollere ſtudens, coëgit, ut ad Ptolemaeum aufugeret, cui cum Py-

1 Diod. XVIII. 57.
2 Diod. l. l. 58.

thonem Agenoris filium fuffecisfet, ad Ciliciam est reverfus, omnium, quotquot ex Alexandri comitibus fupererant, potentisfimus, nec aliud jam mente agitans, quam ut fuam auctoritatem magis magisque firmaret. In Macedonia Polyfperchon, qui regiae domus caufam tum defendebat, (quid proprie voluerit, deinde ostendit, Herculem Alexandri ex Barfine filium interficiens) a Casfandro victus erat eodem fere, quo Eumenes fuit proditus, tempore. Ille Olympiam Alexandri matrem ftatim necandam curavit, et Alexandrum cum matre Roxane in urbem Amphipolin inclufit, interficere detrectans, ne Macedonum animos nimis a fe abalienaret, aut potius, ut haberet, cujus nomine uteretur, fi quando necesfarium esfet, *καὶ τὴν ἀγωγὴν οὐκέτι βασιλικὴν, ἀλλ' ἰδιώτου τοῦ τυχόντος οἰκείαν ἐκέλευε γίνεσθαι. Μετὰ δὲ ταῦτα βασιλικῶς ἤδη διεξάγων τὰ κατὰ τὴν ἄρχην, ἐνεχείρει κατοικίζειν τὰς Θήβας*[1], ut ita Alexandri famae infultaret. Hic ita fumma fuperbia Macedoniae et Graeciae regnum occupavit. Lyfimachus interea in Thracia victorias de barbaris reportaverat, et regnum ibi fatis firmum fenfim fibi condiderat. Ptolemaeus autem nil neglexerat, quo fuum imperium magis firmaret, et, occupata Cyrene, cum plurimis Cypriae praefectis fe conjunxerat. Hinc patet, Eumene mortuo, varia regna jam fe formasfe, quae certis limitibus inclufa conjungi amplius non posfent,

1 Diod. XIX. 52—53.

et fimul cum eo omnem fpem evanuisfe, fore ut Alexandri imperium integrum fervaretur. Deinde conflatum bellum est, quod Ptolemaeus, Casfander, Lyfimachus cum Antigono gesferunt, in quo regiae domus jam nulla amplius mentio occurrit, fed fua auctoritate, fuoque nomine illi agere inceperunt, cum antea femper regum nomine fe agere aliquo modo finxisfent. Memorabilia hac in re funt verba, quae legati ad Antigonum habuerunt postulantes: *Καππαδοκίαν μὲν καὶ Λυκίαν Κασσάνδρῳ δοθῆναι, Φρυγίαν δὲ τὴν ἐφ' Ἑλλεσπόντῳ Λυσιμάχῳ, Συρίαν δὲ πᾶσαν Πτολεμαίῳ, Βαβυλονίαν δὲ Σελεύκῳ· τῶν δὲ θησαυρῶν, οὓς παρέλαβε μετὰ τὴν πρὸς Εὐμένη μάχην ποιήσασθαι μερισμόν· καὶ γὰρ αὐτοὺς κεκοινωνηκέναι τοῦ πολέμου, εἰ δὲ μηδὲν τούτων ποιήσῃ, συστάντες ἅπαντες ἔφασαν πολεμήσειν αὐτῷ* [1]. Nil de regibus, nec de Antigoni fastu et fuperbia. Sibi tantum opes dividi volunt, fe tantum illum aggresfuros minantur. Si vero postea Antigonus regum memoriam renovavit, Casfandrum hostem habendum decernens, nifi Macedonibus Alexandrum ejusque matrem redderet, fecit hoc tantum, quo majorem apud Macedones Casfandro invidiam conflaret, ejusque vires frangeret, nec de restituendo ei imperio certe cogitavit, Casfandrum minatus, *ἐὰν μὴ τὸν βασιλέα καὶ τὴν μητέρα τὴν Ῥωξάνην προαγαγὼν ἐκ τῆς φυλακῆς, ἀποδῷ τοῖς Μακέδοσιν* [2].

---

1 Diod. l. l. 57.
2 Diod. l. l. 61.

. Illud hunc numquam facturum esse, bene novit, sed suam etiam auctoritatem hinc augeri existimavit, si aliquam nunc speciem regiae familiae defendentis indueret. Tandem illud quoque bellum compositum est, et pax facta his conditionibus: Cassander summus in Europa dux esset, donec Alexander in suam tutelam venisset: Lysimachus Thraciam in potestate haberet: Ptolemaeus Aegypto imperaret: Antigonus praeesset toti Asiae, Graecique suis legibus viverent [1]. Et nulla profecto certior via erat, qua Alexandrum tollerent, quam si pacem his conditionibus componerent, et illum miserum apud Cassandrum relinquerent, qui antea quovis modo puerum oppresserat, et nunc sibi firmum imperium vidit, si ille modo esset sublatus. Non certe opus, ut clam de ipso interficiendo conditio adjiceretur [2], nec quis mirabitur, quare nullus sit inventus, qui ejus caedem, brevi post factam, ulcisci studuerit, qua quidem omnibus ultimum remotum impedimentum est, quo minus regium titulum assumerent. Ita ab Eumenis inde morte, omni tutela destituta regia familia omnium contemptui et imperandi libidini fuit exposita, qui Eumenis caede demum viam sibi stratam existimarunt ad id, quod adfectaverant, imperium et regium nomen. Verissime igitur Cornelius Nepos:

1 Diod. l. l. 105.
2 *Schlosser* l. l. I. III. p. 420 hoc conjecit. cf. *Droys.* l. l. p. 398.

„ In quo," inquit, „ quanta fuerit omnium opinio
„ eorum, qui post Alexandrum Magnum reges appel-
„ lati, ex hoc facillime potest judicari, quod nemo,
„ Eumene vivo, rex appellatus est, fed praefectus:
„ iidem post hujus occafum, ftatim regium ornatum
„ nomenque fumferunt, neque, quod initio praedica-
„ rant, fe Alexandri liberis regnum fervare, id prae-
„ ftare voluerunt, et uno propugnatore fublato, quid
„ fentirent, aperuerunt [1]."

---

1 Nepos. l. l. c. 13. cf. Ampelius liber Memor. c. 33.

TABULA CHRONOLOGICA

IN VITAM EUMENIS.

a. Christum.	*Olymp.*	
361.	*Ol.* 101. 4.	Eumenes naſcitur.
342.	*Ol.* 109. 3.	Venit in amicitiam Philippi, ſcribaeque munus ab eo accipit.
336.	*Ol.* 111. 1.	Moritur Philippus, ſuccedit ei Alexander.
327.	*Ol.* 113. 2.	Ejus expeditio in Indiam, cui intereſt Eumenes.
323.		Alexandri mors.
	Ol. 114. 2.	Satrapiarum diviſio a Perdicca facta.
322.		Leonnatus Eumenem relinquit et in Europam tranſit.
		Perdiccas Cappadociam ſubjicit et Eumeni tribuit.
		Perdiccas in Piſidia moratur.
321.		Antigonus in Europam fugit, bellum Perdiccam inter et Antipatrum et Craterum incipit.
		Eumenes vincit Neoptolemum.
		Victoria de Cratero reportata, ejus mors.
	Ol. 114. 4.	Mors Perdiccae.
		Capitis damnatur Eumenes.
		Iterum imperium dividunt imperatores, Eumenes apud Sardis moratur.
320.		Eumenes Celaenis in Phrygia verſatur.
	Ol. 115. 1.	Victoria Antigoni de Eumene reportata.
		Eumenes aufugit et in Norâ includitur.
319.		Attalus et Alcetas ſuperantur.
		Mors Antipatri, Polyſperchon.
	Ol. 115. 2.	Eumenes ex Nora aufugit, literas accipit Polyſperchontis et Olympiadis.

a. Chirstum.	Olymp.	
		Eumenes ſeſe cum Argyraspidibus conjungit.
318.	———	Eumenes copias undique contrahit.
	Ol. 115 3.	Copiae navales, ab Eumene collectae, eum deſerunt.
		Confert ſe ad ſuperiores Aſiae provincias, Ceris moratur.
317.	———	Eumenes ſeſe cum Satrapis et Peuceste conjungit.
		Antigonus in Meſopotamiam venit.
	Ol. 115. 4.	Olympias in Macedoniam redit.
		Pugna inter Eumenem et Antigonum ad Copratam.
316.	———	Pugna de Gabiena.
		Frustra Antigonus Eumenis copias de improviſo aggredi tentat.
		Ultima pugna inter Antigonum et Eumenem, — ejus mors.

QUAESTIONES.

I.

Diodorus Siculus in tradenda fuccesforum Alexandri Magni historia, fi non folum, certe omnium maxime fequutus est Hieronymum Cardianum.

II.

De hujus historici fide, quamvis jam veteres quodammodo dubitasfe videantur, in rebus certe Eumenis, minime est dubitandum.

III.

Eumenes ita a caeteris, qui post Alexandri mortem imperium ejus invaferunt, distinguendus est, ut potius omnibus fefe oppofuisfe, atque contraria iis plane confilia agitasfe, dicendus fit.

IV.

Nec aliqua ille necesfitate coactus hoc fecit, fed quia justam, quam fibi propofuerat, rem mittere noluit, nec fidem femel datam, deferere.

V.

In Aefchyli feptem. c. Theb. 735. ed. *Schutzii* lectio vulgata — ἐκ φίλων ἀβουλίαις vix commodum fenfum praebet: legendum potius videtur:

— ἐκ φρένων ἀβουλίαις.

VI.

In Sophoclis Oedip. Colon. vs. 169. ed. *Wunderi*, pro recepta lectione: *εἴκοντας ἃ δεῖ, κἀκούοντας*, legendum est: *εἴποντας ἃ δεῖ, κἀκούοντας*. coll. vs. 186.

VII.

Apud Theocritum in Idyll. XVI. vs. 63. ed. *Wuestem* lectio *βεβλαμμένον* non ſana videtur, nec tamen Reiskii *βεβλημένον* placet, uti jam Valckenarius improbavit. Legendum igitur cenſeo: *βεβαμμένον*, collatis iis, quae disputavit Ruhnkenius ad Timaeum, p. 76 ſq.

VIII.

Vere Cicero, de Republ. II. 4. „Nulla res magis „labefactatam diu et Carthaginem et Corinthum per„vertit aliquando, quam hic error et disſipatio civium, „quod mercandi cupiditate et navigandi, et agrorum „et armorum cultum reliquerant."

IX.

„Quantum Graeci caeteris populis praeſtiterunt „philoſophiae ſtudio, tantum eloquentiâ et dialecticâ „caeteris Graecis praeſtitere Athenienſes." *Cl. Heusdius* Init. Ph. Pl. II. 11. p. 81.

X.

Placet viri docti conjectura apud Cicer. de Orat. I. 59 legentis: *Paeanem aut nomum citarimus*, quae egregie confirmatur iis, quae disputavit *Spanhemius* ad Callim. Hymn. in Del. vs. 304.

XI.

Vere Cicero de off. I. 11.: „ Mea quidem fententia „ paci, quae nihil habitura fit infidiarum femper est „ confulendum, in quo fi mihi esfet obtemperatum, fi „ non optimam, at aliquam rempublicam, quae nunc „ nulla est, haberemus."

XII.

Aristophanis et Aristarchi Criticorum Alexandrinorum inftitutum, ut fcriptores Graecos, delectu habito, in clasfes dividerent, profuisfe magis litteris, quam nocuisfe videtur.

XIII.

Dramatica poëfis apud Graecos plurimum valuit ad mores civium emendandos, atque eloquentiae et poefeos ftudium excolendum.

XIV.

Recte Euripidem *de fcenâ Philofophum* dicimus.

XV.

Vere Sextus Empiricus, contra Math. VII. 8. p. 371: *τοῦ δὲ ἠθικοῦ μόνου ἐπεμελεῖτο Σωκράτης, κατά γε τοὺς ἄλλους — ὁ μὲν γὰρ Πλάτων παντὸς μέρους φιλοσοφίας αὐτῷ μεταδίδωσιν.*

XVI.

Merito fcriptor libri *περὶ φιλοσόφου ἱστορίας*, qui Galeni nomine circumfertur: *Σωκράτης, καὶ τῶν κατ' αὐτὸν αἴτιος τοῦ φιλοσοφεῖν εἰλικρινῶς γέγονε, καὶ τοὺς ἐπιγινομένους σχέδον ἅπαντας, ὡς εἴπειν, φιλοσοφίας ἐπιθυμητὰς ἀπέφηνεν.* Galeni opera T. IV. p. 424. 36. ed. Bafil.

XVII.

Argumenti, in libro Jobi tractati, fons est ipsa historia, sed haec poetice ab auctore est ornata et copiosius elaborata.

XVIII.

Vere *Ewald* Hebr. Gramm. § 7. p. 3. edit. 1838. *In den Vier ersten Büchern des Pentateuchs, welche ohne Zweifel sehr alte, und zum Theil von Moses, oder aus seiner Zeit stammende Stücke enthalten, zeigt sich die Hebräische Sprache schon bis auf wenige Kleinigkeiten völlig ausgebildet.*















